

DE INVEN-
TIONE, DESCRI-
PTIONE, TEMPERIE, VI-
RIBUS, ET IN PRIMIS
usu Thermarum D. Caroli
IIII. Imperatoris

LIBELLUS BREVIS QVI-
dem, sed utilissimus, scriptus

à

FABIANO SUMMERO
PHILOSOPHIÆ ET ARTIS
Medicæ Doctore eximio, ex
Thermis Carolinis ori-
undo.

Præmissa est narratio illius Cataclysmi,
qui anno superiore 82. easdem
Thermas obruit.

Nunc tertia vice recusus & Indice
rerum memorabilium auctus.



LIPSIA,

MICHAEL LANTZENBERGER
excudebat, Anno 1609.

EINAVEN
LIONE DESCRIP
TIONE TEMPERIE, A
NATURÆ, AT TINTERRA
ET JPERMAM D. CATH
HILLY IMPERATORIS

ABALDUS SAXENIS 234
HABITUS ET MAMMULAM

ABALDUS SUMMERO
HABITUS ET ARTIS
SCHIER D. GORE EXIMIO, ex
THERESA C. SPQRINUS OLI
mgl

ABALDUS HABITUS ET MAMMULAM
HABITUS ET MAMMULAM
HABITUS ET MAMMULAM

HABITUS ET MAMMULAM
HABITUS ET MAMMULAM

233 233 233
HABITUS ET MAMMULAM
HABITUS ET MAMMULAM

STRENUIS ET A M-
PLISSIMIS VIRIS, GENE-
ROSA NOBILITATE, EQVESTRIS
ordinis Dignitate, Virtutum & Doctri-
næ laude Clarissimis Dominis, Dominis,
CHRISTOPHORO MARQVART, de
HRADKHU in Puela Patri, & SEBA-
STIANO filio germano, Domi-
nis suis vera animi reve-
rentia colendis:

*Gratiam & pacem à Deo per Chri-
stum precatur.*

 Voties animum meum
subit recordatio illius Catacly-
smi, qui anno superiore octua-
gesimo secundo, patriam in
primis meam, cum vicinis ali-
quot oppidis, viciis & pagis obruit, non pos-
sum non vehementer perturbari, cum ge-
mitu, patriæ commiseratione, & seria consi-
deratione paternæ iræ, immensæ potentiaz,
& majestatis divinæ. Hunc enim ipsum Do-
minus nono Mensis Maji, circa horam p. m.
secundam, ad Depolæ oppidum, tribus
milliaribus à patria distans, excitavit, nubi-

bus

DE CATACLYSMO

bus in aere ex materia densissima & varie
mista conflatis, quæ huc illucq; agitatæ &
coactæ, maximo cum impetu & fragore im-
brem largissimum, grandine, flammis & ful-
minibus coruscantem effuderunt, & pisci-
nas aliquot in vicinia cum minores, tum ani-
pliores abruperunt, & collectis undiq; atq;
accumulatis aquarum fluctibus, Novofo-
rum primò, oppidum deinde Perschau, ali-
quot postea Molendina, & variis generis ædi-
ficia ad Depolæ fluvium, intra montes ex u-
traque parte labentem extructa, Thermas
deniq; nostras Carolinas de repente & mi-
serabiliter obruerunt. Hic namq; Cataclys-
mus, continuò agitatis, subito accumulatis,
in altum surgentibus, & horribiliter tumef-
centibus atque frementibus undis, paulò
ante quintam horam circa cenæ tempus,
in maxima copia ligna cum minora, tum
majora avexit, tanquam imminentis cervi-
cibus nostris evidentia signa. Canales de-
inde universos, per Depolam fluvium ex-
porrectos, calidamque balneis inferentes,
ipsaque balnearia penè omnia, cum quatu-
or pontibus super flumen locis diversis
extructis vehementi impetu & fragore de-
struxit, diripiuit, atque abduxit. Hujus vi ac
vehementia fundamenta ædificiorum, flu-
ctibus undique collidentibus, atque exstiu-
anti-

antibus conquassata, ædes aliquot cùm in foro, tūm aliis in locis insigniores, uno oculi momento partim disiectæ, & eversæ, partim integræ abductæ, tandemque collisæ sunt; Integra platea, quam Crucis vocarunt, cum omnibus domibus propè fluvium extactis, destructa; Petra quoque durissima, cui in nixæ domus fuerunt, fluctuum sœvitia excavata fuit adeò, ut ne vestigia quidem ullorum ædificiorum apparerent. Neque verò exundatio illa ædificiorum solummodo secum traxit non tam dilacerationem, atque deformationem, quām ruinam & dissipatiōnem, sed etiam, (quod aspectu miserandum, & auditu horrendum erat) diversæ ætatis, sexus, & varia conditionis homines, cùm domesticos inquilinos, tūm extraneos hospites, tūm etiam pauperes, atque mendicos obruit, vel in soliis lavantes, vel mensa accumbentes, vel laboribus intentos, vel supellec̄tilis aliquid secum auferre, vel fugam ex præsenti mortis periculo arripere conantes, & securitatem sibi, vitæque prorogationem pollicentes, illosque celerrime a quis insinuatos suffocavit atque abripuit à complexu quidem parentum liberos, à præsidio hospitum peregrinos, à tutela dominorum servos & ancillas, ab amicorum necessitudine amicos distraxit. Tum cum ingen-

DE CATACLYSMO

ti animorum perturbatione auditi sunt
horrendi aquarum sonitus , & fremitus,
visæ ædificiorum ruinæ præcipites , conspe-
ctæ fugæ celeriter arteptæ trepidantium
vitorum, matronarum , & puellarum , ho-
nestate & nobilitate generis præstantium,
& per aliquot ædium contiguarum tecta
(quæ paulo post magna ex parte eversa
sunt) perrumpentium , atque ad tutiora lo-
ca festinantium : Exaudita rursus lamenta-
biles parentum , amicorum , & dominorum
voces, deplorantium subitaneā suorū mor-
tem, clamores item miserabiles illorum, qui
vel ex diluvio eluctati, in eminentioribus lo-
cis suorum spectabant præfens mortis peri-
culum , vel aquis immersi , inter vitam &
mortem colluctabantur , vel ædibus inclusi,
atque aquarum extundatione undique cir-
cundati, opem implorabant inquilinorum :
Atque hi mira arte cum periculo conjuncta
aliquos extrahebant aquis. Quod si rerum
omnium , seu damnum illatum , seu factu-
ram factam , seu perniciem intolerabilem
commemorari necesse esset, nimis prolixa
fiéret oratio. Nam & hospitum nobiliū pre-
ciosā auri , argenti atq; vestium ornamenta,
fluctibus grassantibus abrepta, & inquilino-
rum variū generis merces , lautaq; supellex
abducta, vini, cerevisiæ , frumenti, carnium,
pisci-

piscium, atq; plurimarum rerum copia ex
cellis, piscinis, & receptaculis ablata, agro-
rum, pratorum, & hortorum cum amoenita-
te & fertilitate conjuncta soliditas, disrupta
& deformata, fruges cum floribus, herbis
atque arboribus corruptæ, equi, currus, &
diversi generis jumenta miserè suffocata fu-
erunt. Duravit autem ista fluctuum saevitiam
atque altitudo ingens, neque visa hactenus,
neq; audita unquam vel in patria, vel in vi-
cinia, horas octo continuas. Post primam
verò noctis horam, aquis paulatim decre-
scientibus, visus est rursus cum vapore exor-
tus, atque auditum murmur pristini illius
Thermarum fontis, quæ res multorum ani-
mos tanquam fulmine prostratos erexit, &
~~visus~~ ~~variolos~~ metum abstulit. Neque vero
populares miseri, & plurimum spoliati pec-
cunia, rebus, & vestibus hospites, manè pro-
pter pontiū destructionem coire poterant,
sed tanto perterrefacti malo, & penè exani-
mati metu gemebant, & miserabili admo-
dum aspectu communem miseriam ex utra-
que parte fluminis intuebantur, ignorantes,
quoīnam, quot, & quales homines vis aqua-
rum suffocasset. Verum post meridiem circa
horam tertiam ponticulo super flumeti
summa difficultate, præcurante & urgente
hanc rem industriā & fide D. Georgi Fleis-
)

DE CATACLYSMO

neri affinis mei, extructo, in magna copia peregrini (qui ex vicinis locis sperande calamitatis causa adventarant) convenerunt, & mutuis lacrymis ærumnas suas deplorarunt in foro, cujus posterior pars aquatum sævitia ita disrupta, atque excavata fuit, ut è profundo fundamenta soliorum perverstorum apparet, & undique calcis insignis moles conspiceretur, profutura scilicet futuræ ædium cum refectioni, tūm instauratiōni. Atque hæc quidem omnia non fama, non nunciis, nec literis accepta refero, sed cum illo ipso tempore, partim familie meæ, partim Thermarum usurpandarum causa aliquandiu in patria comimorater, non solum spectator fui istarum calamitatuum, sed etiam consolator afflictorum, & (quod absque laudis affectatione accipi cupio) opitulator eorum, qui vndeque aquis cincti popularium à me validè excitatorum, fide & opera circa noctis horam decimam & undecimam, non absque periculo extrahebantur. Sequentibus postea diebus quæsita cum dolore, & reperta fuerunt, cum in lacris domibus, tūm infra Theras inter saxa, dumeta, & dissipata ædificiorum rudera, suffocatorum, atque abductorum corpora, quæ diversis temporibus, cumque largis lacrymis terzæ mandata sunt ultra viginti;

iis

ijs exceptis, quos & vis aquarum in longum abduxit suffocatos, & ex plebeiorum & mendicorum numero neque scire, neque investigare potuimus. Ex abductorum verò variii generis bonorum atq; mercium copia parum est repertum, arcæ aliquot cùm Inquilinorum, tūm generosæ nobilitatis dominorum, longè infra Thermas inventæ, quæ agyeturam violentia referatæ, & furtim e-reptis vestibus, ornamentis, & thesauris preciosis relictaæ fuerunt. Ex ingenti præterea perturbatione illa postea quidem honestæ existimationis viri mortui, & partu labores matronæ extinctæ sunt, partim in ipsis Thermis, partim in itinere, dum redire domum conarentur.

Cùm autem varia homines de tantis aquarum fluctibus, periculis, & miseriis judicare soleant: audivi tūm etiam multas multorum & à se invicem discrepantes sententias. Aquis enim adhuc horribiliter frementibus, obviam mihi factus in platea vir quidam peregrinus, ex serio pietatis affectu hanc vocem edidit: quam magnifica est gloria tua, Domine? Cui ego ex Psalmo subjeci: Quam magnifica sunt opera tua, Domine, Omnia in sapientia fecisti, Impleta est terra bonis, & malis etiam tuis, quæ non peccata, sed pœnæ sunt peccatorum, justi-

Psal. 104.

Ja(5 ciam

DE CATACLYSMO

Amos 3.
etiam tuam celebrantes. Nunquid est enim
malum in civitate, quod non facit Dominus ? Aliorū etiam popularium meo-
rum, quos hinc inde cum dolore discurrens,
ex Dei verbo sum consolatus, audīvi respon-
sa cum voluntate Dei congruentia. Non-
nulli, ut fieri solet in tantis miseriis, stupore
attoniti, & cœi Panico terrore abrepti, nul-
las ediderunt voces. Mater vero mea caris-
sima (quæ annū vitæ suæ absolvens septu-
agesimum sextum, anno proxime elapso be-
atè ad Dominum hinc emigravit) sapè me
& multis aliis audientibus, magna animi
cum commotione dixit : Nihil aliud has
esse Cataractas, quam Dei justissimi ma-
num & virgam potentem, ad nos humilian-
dos, & propter varia delicta castigandos, cui
nos subjici oporteat vera cordis contritio-
ne, delictorum confessione, fide sincera, ar-
dentibus precibus, vitæ & morum emenda-
tione. Sed auditæ sunt rursus aliquorum
querulæ, & indignationis plenæ voces, hanc
calamitatem Sagarum incantationibus &
Præstigiatorum magicis artibus assignan-
tes, atq; diris ipsos devoventes : quorum ego
judicium, producio in medium Dei verboi,
corrigere tum quidem conatus sum. Non
enim tantorum malorum causa præcipua,
quam niger æterno vocamus, quærenda est, aut
in in-

ANNI LXXXII.

in infasto syderum positu , motu , lumine & influentia , aut in fati necessitate , aut in fortunæ & casus volubilitate atq; inconstantia , aut in Sagarum & præstigiatorum incantationibus , aut deniq; in naturalium causarum dispositione atq; affectione ; Sed in sapientissima , justissima , efficacissima , maximè admiranda , & humiliter adoranda **A E T E R N I D E I P R O V I D E N T I A**. Hic etenim conditor est , rector , & moderator omnium creaturemarum , hic secundum Nassianeni theologi apologiam , universam rerum motem velut quibusdam vinculis adstrinxit , ex hujus voluntate & nutu omnia pendent , huic omnia cedunt & prona sunt , hoc dicente res flunt , agitante moventur , motum inhibente suspenduntur , interdicente conquiescunt , volente mutantur , hinc adorant angeli , contremiscunt Diaboli , fugiunt impii , stupent cœlum , terra , mare , hic tonat voce sua terribiliter : Dicit nivi , & mox adest in terra , & imbri , & imber adest potenter , à cuius flatu venit gelu , magna vis aquarum : Qui ponit tenebras latibulum suum , tenebrosam aquam , densas nubes (quales in Thermis nostris imminente nostris cervicibus aquarum illa exundatione non sine animorum perturbatione conspeximus) Qui de cœlo mittit iræ suæ sagittas , fulgu-

Ioban. 5.

Gen. 1.

Act. 17.

Psal. 104.

105. 10.

Mat. 8. 14.

Esa. 6.

Jacob. 1.

Iob 37.

Psal. 18.

Psal. 144.

DE CATACLYSMO

ram multiplicat, conturbat & prosternit
8. Sam. 2. omnes impios terræ. Cujus admiranda po-
tentia in mediis contrariis efficax est, cùm
Gen. 50. ex malis bona eliciendo, tūm malum in bo-
num convertendo, tūm ex rebus deploratis
Ioban. 5. viam inveniendo secundis: Qui capit sapi-
1. Cor. 3. entes in astutia eorum, & consilia perverso-
rum præcipitat, ut in luce meridiana vagen-
tur & tanquam in nocte palpent: Quilibet
Psal. 72. rat pauperem, cui non est adjutor, infatuat
Psal. 68. 33. consilia potentum, & dissipat decretagen-
Psal. 37. tium, impedit cogitationes populorum, re-
tegit hæreticorum insidias, confundit hy-
pocrytarum fraudes, ac in ipso furore op-
primit tyrannorum sævitiam. In hujus igit-
ur æterni Dei sapientissima, potentissima,
efficacissima, misericordissima simul, & ju-
stissima providentia, vera cordis fiducia in-
niti, & suaviter acquiescere convenit vere
Christianos singulos ac universos, qui in vi-
ta hujus brevi curriculo, nec rerum adver-
sitate frangi, nec prosperitate vinci, nec fu-
turarum calamitatum metu percelli, nec
præsentium turbine everti, nec præterita-
rum memoria impatientiæ stimulis incitari,
nec in secundarum causarū, neglecta prima
præcipua, nuda speculatione, aut fati Stoïci
fatuitate, aut fortunæ, & casus volubilitate,
dubitanter simul, inscienter, & impatienter
hære-

ANNI LXXXII.

hærente, sed gloriæ divinæ excelsitatem atq;
 amplitudinem verè agnoscere, & fructuose
 considerare, & gloriose celebrare cupiunt.
 Omnipotentiam quidem in conditione &
 conservatione; Sapientiam verò in ordine *Psal. 104.*
 & dispositione, benignitatem in usu rerum
 omnium, libertatem in moderatione, muta-
 tione, aut suspensione & retractione earun- *Esa. 38.*
 dem: Summam bonitatem in regendis e- *Psal. 94.*
 lectis, justiciam in castigandis errantibus, *Psal. 119.*
 judicium in evertendis impiis. Neque verò *Or. 40. 55.*
 longè petita Providentia divinæ exempla
 proponi nunc quidem (cum alias, si Domi-
 nus voluerit, plura de illa maximè necessa-
 ria, adque efficaciter consolandum afflitos
 accommodatissima doctrina, dicturi simus)
 necesse est, siquidem in lucuosa illa Ther-
 marum exundatione illustria illius offeran-
 tur testimonia, quæ ideo lectori recitabo, ut
 intelligat & occulto Dei consilio omnes e- *Actor. 17.*
 ventus gubernari, & totius vite, vocationis
 & ærumnatum suarum curriculum in Dei
 sapientissima Providentia fundari, & ab
 eadem pendere, & ad eandem principaliter
 referri, quod omnipotentia, sapientia, boni-
 tatis & justiciæ laus ipsi tribuatur, animus
 Christiana patientia inter ærumnas fulcia-
 tur, fiducia præsentia & consolationis di-
 vinæ corroboretur, spe denique finalis li-
 bera.

Matth. 6.

Prov. 16.

Psal. 56.

73.

DE CATACLYSMO

herationis, & futuræ gloria sustentetur.

Primum itaque Providentiaæ divinæ testimoniū fuit, quod Cataclysmus ille à Domīno excitatus, non noctu, sed interdiu, nec hyemali, sed æstatis tempore homines obruīt, ut plurimi immunes mortis periculum effugere possent. Nam si vel noctu, vel hyeme effusus fuisset, plerosque seu in lectis decumbentes, seu in balneis commorantes, opinione celerius unā cum domibus, balneis, & lectis subito everbos suffocasset, & eluctatos fortè ex undis, omnique vitæ ad miniculō, ac præsidio destitutos frigus encasset. Atque hæc temporis circumstantia à divina dependens providentia, prædicat clementiam & benignitatem Dei. Puniens enim miseretur, & castigatione utens consolatur, justiciæq; sententiam clementia temperat, ut gravissimè Theodoreetus noster scribit. Deinde eadem Dei providentia admirabilis Abbatis in Monasterio Depolensi (ubi diluvij initium factum est, ut jam antè diximus) piscinas amplissimas, quarum aliquæ longitudine tres miliaris partes æquant, servavit integras, cum quidem abruptiōnis periculum monstraret vis aquarum piscinalium, quæ supra latissimos aggeres effusæ quidem, sed obductis super aggeres, & per exundantes aquas in longum extensis

Psal. 30.

Deut. 4.

atque

ANNI LXXXII.

atque continuatis linteis oblongis, Mona-
chorum atq; civium istius loci industria atq;
vigilantia prohibitæ fuerunt, ne aquarum
vis aggères exederet & perumperet. Quod
si vel una ex piscinis maximis abrupta fuisset,
reliquæ simul uno in tractu cohærentes,
evulsa atque excisa immensam atque incre-
dibilem aquarum & fluctuum copiam effu-
disserint, quæ cum aliis in vicinia oppidulis, &
pagis, per quos Depolæ fluvitis intra montes
& valles conclusus defluit, tūm in primis
nostræ patriæ universalem interitum intu-
lissent. Atque ita non totam effudit, sed ut
Propheta loquitur, stillavit iram suam Do-
minus, ut in plaga correcti ad ipsum rever-
tantur homines. Semper enim Deus vindic-
& gladium miserationis oleo lenit, & misericordiæ ipsius amplitudo justiciæ superæ
rigorem, & ut faciat opus suum in miserendo,
justificando, vivificando & conservando,
facit opus alienum in castigando, mortifi-
cando, & deducendo ad inferos. Ira deniq;
relicta, quæ secundum Nassianenum theo-
logum, opus est contra ipsius naturam, ad
misericordiam suæ naturæ convenientem
properat.

Dan. 9.

Ez 4. 28,

I. Sam. 23

Memoria præterea dignum est, quod
ruinosa aliquot & pervertita domus fluvio
proximæ, & aquarum fluctibus allisæ, & cir-
cundat-

DE CATACLYSMO

cundatae, steterunt integræ, atque in illis homines sibi de vita superstite nihil plane pollicentes, omniq[ue] destituti ope humana miraculosè servati fuerunt, cum quidem in remotoribus locis fundatae ædes, prorsus uno aquarum impetu corruerint.

Sic Dei consilium mirabile est atque immutabile.

Esa. 46.

Esa. 29.

Et ut manum Domini extensam nemo impedire potest: ita ibi incipit auxilium divinum, ubi definit humanum, ut liberrimæ voluntatis illius, & immensæ sapientiæ atque potentia gloria manifestè conspiciatur & celebretur. Adhæc in Petri Fleisneri affinis mei ædibus quadraginta circiter homines, & ex his generosa nobilitate Illustres duo Barones, matronæ item honestissimæ, adjunctis virginibus, benignitate divina tum quoque incolumes servati sunt. In illas enim, ut supra notavimus, per aliquot domorum contiguarum tecta violenter disrupta, celeriter perreptarunt, & toto inundationis tempore aquis undique cincti, atque inter vitam & mortem versantes, supplices in Dei conspectum preces effuderunt, atque à Deo clementissimè exauditi, luculento exemplo illam promissionem confirmarunt: Quoniam desiderat me, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, clamauit ad me, & exaudiam eum, cum ipso sum

psal. 91.

A N N I LXXXII.

sum in tribulatione : eripiam eum & glori-
ficabo eum. Item : Invoca me in die tribu-
lationis , eruam te , & tu honorificabis me.
Verum è contrario miserabilis fuit unius in
primis honoratæ matronæ interitus , quæ
Artritide laborans , cùm in foto , adjuncta
alia , conclave quoddam inferius incoleret ,
& aquis celeriter in altum surgentibus , nul-
libi evadendi spaciū inveniret , ab hospiti-
bus superius ædium probè extructarum do-
mīcīlī obtinentibus , per fenestram de-
missis mantilibus colligatis , manib[us]que
ipsius illis insertis , sursam versus aquis aliqua
ex parte subtracta quidem fuit , sed cùm vio-
lētātē excusæ manus languide tractio-
nē sustinere non possent , aquis immersa ,
cum adjuncta sibi , seu amica , seu famula , mi-
serè periit . Ita nimis profundæ & inscruta-
biles sunt consiliorum atque factorum rati-
ones æterni Dei , qui dubio procul gemitus
atque clamores illarum exaudivit . Quin et-
iam homo quidam valde senex & dives cùm
subito collectis pecuniis , aquarium effugere
periculum couaretur , recordatus aliquarum ,
quas in lectulo asservārat , Apocharum
& syngrapharum , pecuniz studio adductus ,
in domum pristinam regreditur , dumque in
fasciculum collectas Apochas auferre simul
studet , cum domo illa aquarium impetu subi-
to ever-

)b(

tò ever-

DE CATACLYSMO

1. Tim. 6. tò eversa lecto infidens aufertur, & miserè perit. Atq; sic pecuniæ studium, rerumq; terrenarum cura, homines in exitium demergit, & cum uxore Sancti Loth in statuam Salis convertit. Et sæpe fit, ut in incertam inhiantes prædam, certam bonoru possessionem amittant. Quid est autem pecuniâ magis incertum, & caducu, quæ variis nos modis in vita deserit, & in morte tandem à nobis deseritur ? οὐετὸν γαρ ἡ φύσις τὰ πλέον, χειμάρρος δεξύτερος τὰς ἔχοντας παρατρέχει, ἀλλοτε ἄλλον πέφυκε παραγένεσιν. Fluit opulentia, & torrentis instar præterlabitur, & subinde Dominum mutat, secundum Basiliū magnum : cum ex opposito Divites in Deo, ac sedulò audientes, recteque intelligentes, & studiosè facientes sermonem Dei viventis

Basi. in
Psal. 62. nec imbrium copia, nec ventorum turbine, nec fluminum exundatione everti possint. In Petram enim probatam angularem atque preciosam, cordis, animæ & conscientiæ suæ domum vera, intrepida & perseveranti fiducia extruxerant : Qui enim crediderit, non trepidabit, nec festinabit. Præterea alias ex profunda ebrietate lassus, cùm in lectulo dormiret, inter tantos aquarum fragores, cum lectulo fluctuum impetu abreptus est, & domo corruente, ipse simul corruit, & somnum cum morte

Math. 7. Esa. 28. commu-

commutavit. Ebrietas nimirum, non solum
 turpisimus est abusus donorum Dei, sed et-
 iam impedimentum omnis boni, & fons o-
 mnis mali in corpore, anima & facultatibus,
 in vita & morte, in Ecclesia, in Re, & publica
 & domestica, in communi vita. Ideoque
 Græci hanc *νεαπάλην* vocant, capit is nimi-
 rum luctam atque concusione m. Aposto-
 lis Paulus *ἀπωτίας* profusionem, summa
 cum turpitudine conjunctam: Basilius den-
 sam nubem, S. spiritus illuminationem pro-
 hibentem: Iustinus Martyr mortiferum
 corporis & animi medicamentum: Au-
 gustinus manifestum Dæmonem: Seneca
 voluntariam insaniam: Chrysostomus Ra-
 dicem vitæ delictorum, gulæ studium appellat.
 Sed servati sunt rursus quidam mirabili-
 ter. Nam extraneus quidam ex oppido Dir-
 schenteut oriundus, cum & ipse cum alijs
 multis, fluctibus undique circundatus, evasi-
 onis spem planè nullam haberet, domum
 (qua cum reliquis simul paulò post suffoca-
 tis hospitibus, utebatur hospitio) consen-
 dit, & utrisque manibus ac pedibus fuma-
 rium ex lignis & luto coagmentatum, com-
 plexus est adeò, ut domo corruente, ipse
 simul cum fumario, cui tenacissimè inhære-
 bat, caderet, & aveheretur, atque hoc illuc-
 que fluctuum levitia agitatus, lignisq; asse-
)b(2 ribus

*Ephes. 5.**Libro de
vita Chri-
stiana.*

DE CATACLYSMO

ribus & variis generis, quæ flumen simul celerimo cursu auferebat, conquassatus, naufragium nanta mirabilis non faceret, sed divina ope atque providentia directus, tres milliaris unius partes, per continuam illam aquarum vim, atque sinuosos anfractus, atque horribiliter grassantes cataratas, navigio plus quam admirabili conficeret, donec ad navigationis portum divinitus monstratum, radices scilicet pagi, quem vocant Hohendorff, appelleret, ubi in mediis undis mirabiliter fluctuantem conspexerint, & miserè clamantem audirent, ac valida arte aquis extraxerunt ad litus stantes rustici. Sic opera Dei fiunt in mediis contrariis, ut eximus Dei servus D. Lutherus dicere solebat: Ut enim maxima Dei virtus efficax est in summa infirmitate, illustrat mentes in densa caligine, justificat in horrenda peccatorum multitudine atque atrocitate, vivificat in media morte: ita liberat pauperem clamantem, vel mediate, vel immediate, & efficaciter opitulatur, cum non modo ab amicis, sed etiam ab omnibus creaturis deserti sumus. Insuper quidam civis in Thermis, cuius nomen est Flach, cum præ oculis avulsum repente aquis, & miserè submersum videret filium: & collecta aliqua supellecstile, canistro & scapu-

2. Cor. 12.

ANNI LXXXII.

scapulis imposta, emergere summis viribus
contenderet, fluctuum adversa agitatione
retractus est adeo, ut excusso celeriter hu-
meris pondere, natando auferretur, & ex
alto s̄ep̄e per collisiones & fragores undarum
inter se mutuo collidentium in profun-
dum submersus, spiritum cūm attrahendo,
tūm (quod mirum ipse mihi retulit) sub
aquis emitendo, rursus emerget, donec
saliceto cuidam inhārens, viribus aliquan-
tis per collectis per pratum matris meæ in-
ter horrendos aquarum sonitus enataret,
ac sequenti die, capite halitibus, & fragori-
bus aquarum infirmato atque repleto, cor-
pore lassato, & ex crebro repetitis & exce-
ptis iictibus concusso tristis admodum ince-
deret. Atque ita Dominus s̄ep̄e castigando
castigare suos, sed morti non tradere solet, *Psal.118.*
& stygmaτa judicii sui mentibus, corpori-
bus & rebus inprimis, ut illa intuentes de
peccatorum magnitudine, ira divinæ vehe-
mentia, ardore piarum precum, vitæ deni-
que & morum emendatione seriò cogitent.
Taceo nunc illam conjugem, quæ auribus
prehensem maritum aquis extraxit, rusti-
cum item, quem ex ebrietate immersum,
funibus per fenestram emissis, in altum sus-
tulerunt: nobiles præterea aliquot, cives
nonnullos, & pauperes morbis contagiosis

)b(3 infe-

DE CATACLYSMO

infertos, qui partim in balneis & sudarijs
communibus lavantes, partim domibus
conclusi diluvio, popularium meorum indu-
stria emerserunt. Et hac ratione liberatio-
nis occasiones, media & instrumenta mon-
stravit Divina providentia ijs quos servari
tum voluit incolumes: sicuti, qui miserè
perierunt, evadendi occasionibus & orga-
nis destituit, occulto quidem nobis, sed
sapientissimo & justissimo consilio. Inju-
sticia enim apud Deum nulla est, qui omnia
non temeritate, sed judicio facit, sive quan-
do adjuvat, misericorditer faciens, seu cùm
August.
ract. 53 in
Ioh.
tem, in 4.
g 2. de
Irata Dei.
ap. Ro. 9.

non adjuvat justè faciens. Dei itaque con-
silium occultum esse potest, iniquum esse
non potest. Deique judicia nemo plenè com-
prehendit, justè nemo reprehendit, ut ex
Apostoli sententia gravissimè Augustinus
scripsit. Cum autem tantum unusquisque
sciat, quantum experiendo didicit, & in di-
vinis rebus perdiscendis, non tantum *στρεγεῖα*
requiratur, quæ est menti impressa doctri-
næ salutaris cognitio, sed etiam *αἰδοστις*, quæ
doctrinæ vim, efficacitatem & fructum in
voluntate & corde sentit, ac sermone, mo-
ribusque in vita, vocatione, & ærumnis cum
agendo, tūm patiendo luculentè exprimit:
Sanctè affirmo, metum etiam cum meis
divinæ providentiæ sensum, *ἐνέγειας* & usum
effica-

ANNI LXXXII.

60

efficaciter expertum esse. Cum enim pri-
mis diebus fratris mei Georgij Summeri
posteriores in foro ædes cum familia mea
occupasse, atque in illis noctu dormivis-
sem, postea, nescio quam ob causam ab illis
adeò cum conjuge mea priore in Domino
defuncta, abhorrente cœpi, ut consilio durati-
onis prorsus mutato, in matris meæ domum
familiam transtulerim, atque hac ratione in-
scius ruinam illarum ædium (quæ uno oculi
momento atq; impetu aquarum, destructis
fundamentis quantumvis probè positis cor-
ruerunt, atq; dissipata sunt cum varia, & ex-
quisita rei familiaris supellecstile, & merci-
bus preciosis) anteverterim, inspirante sci-
licet hoc mihi consilium benignissimo Deo.
Rogatus etiam ut cum fratris Georgij Soce-
ro, D. Martino Clerlio, & aliis quibusdam Se-
natorij ordinis viris cœnarem, illa ipsa nimi-
rum hora, quæ tantam patriæ calamitatem
intulit, renui, & tristissimo tenebrosarum
nubium, quæ montem, ut vocant, Cervorum
undiq; cingebant, aspectu motus & quasi
perterritus, celeriter cum matre mea domū
reversus sum. Atq; hic sub cœnæ initio, hor-
rendos aquarum fragores audivimus, & per
fenestram posteriorem labyssum ex abyssō
effusam, & quæ hos subsecuta statim est,
eversionem & ruinam superioris pontis hal-

)b(4 neorum

DE CATACLYSMO

neorum & domorum aliquot misere aspergimus, atque attonitos stupore & admiratione homines multos, in medio ponte stantes, & communem miseriam spectantes, valido per fenestram clamore repulimus, ne cum ponte præcipites in rapidum torrentem ruerent, sicuti post illorum secessiōnem, subitaneo impetu pons avulsus est. Deinde iumenta vinculis solutis stabulo abegimus, & merces cum supellectile domo materna exportavimus. Quin etiam conjugem meam carissimam circa cœnæ illius diei tempus lavare cum liberis meis volenter in balneo materno, fluvio proximo, vehementer & inscius futurae calamitatis prohibui, atque hac ratione per Dei gratiam suffocationis metu & periculo liberavi. Omnium enim opinione celerius effusa, atque accumulata est vis aquarum, quæ subitaneo & maximè violento impetu, cum aliis omnibus, nostrum quoque balneum abripuit. Atque hoc modo fingit & refingit misericordissima sua voluntate Deus corda hominum, & consilia atque voluntates illorum flectit, quando vult, quò vult, vel mediatè per homines, vel immediate sine causis secundis. Ipsasque causas secundas ita moderatur, ut nos sapissimè aut adjuvet, aut impediat, aut mutet, pro beneplaciti

ANNI LXXXII.

citi sui consilio sapientissimo simul, præpotenti, & misericordissimo, quò & gloria illius æterna illustretur, familia conserventur incolumes, & saluti Ecclesiae consulatur. Non enim, secundum Prophetam regium, Mortui laudabunt te Domine, neq; omnes descendant in infernum, sed nos, qui vivimus, &c.

Cum autem plurimi ex popularibus meis, in isto Cataclysmo domibus suis spoliati, rebusque bonis & vestibus exuti, cum suis subsistendi locum non haberent, partim à viciniis, partim cognatis hospitio excepti & detenti fuerunt. Nam afflictis à Deo humanitatis officia conferenda, & remedium unicum spes est, atque fiducia in Dei misericordia deposita. Interea communi Senatus Thermenesis decreto, legati sunt missi, qui testimoniiis instructi, vicinarum regionum Boiemia, Misnia, Norica, & aliarum Generosorum quoque Dominorum & ditiorum compellarunt atque implorarunt novæ ædificationis auxilia atque subsidia. Atque haec non tam ex commiseratione alienæ calamitatis, quam Dei mandato, & Christianæ caritatis affectu impulsi, liberalem & memoria atque prædicatione dignam cœlœstes, n. ayá-
wan, n. yá-er fructum scilicet fidei & caritatis popularibus miserunt, iis exceptis, qui

Iob 13.

Cor. 16.

Rom. 15.

Iob 5

cum

DE CATACLYSMO

cum à Dei iudicijs eximere se non possint, & mendicorum suorum in Thermas transmis-
forū, multitudine atque importunitate præ-
cipuam Eleemosynarum partem in patria
annuatim absumere soleant, vel nihil, vel
minimam contulerunt. Illa igitur munifi-
centia atque liberalitate sublevati, & ære ali-
eno plurimum hinc inde conflato, instruti
dilecti populares, & horribiliter laceratas
domos refecerunt, & de integro quadragin-
ta circiter ædificarunt, ejusmodi domicilia
atque ædes, quæ & fundamentorum robo-
re, & ordinis dispositione, & conclave
atque balneorum numero, atque altitudinis
eminentia priores longè superant, quæque
adventantibus omnis generis, sexus, & nati-
onis hospitibus, convenientia ad usum Ther-
marum hospitia præbere possunt, in illa et-
iam platea, quam integrum de novo extru-
ctam NOVAM vocant. Oro autem æter-
num Deum Patrem, per & propter filij
sui unigeniti, & proprij Domini nostri Ie-
su Christi meritum, efficaciam & intercessi-
onem, ut oculis gratiæ & misericordiæ o-
mnes ubique verè Christianos, & meam Pa-
triam dulcissimam benignissimè respiciat,
& Spiritus S. gratia animos cùm populari-
um, tūm advenarum efficaciter moveat, quò
& amplitudinem tanti Thermarum boni
divini-

ANNI LXXXII.

divinitus collati verè agnoscere, & in timore, invocatione & gratiarum actione Domini, coniuncta cum æquitate & justicia, vera ratione, & ordine elocare, & usurpare, & in continentia, & temperantia virtus, cultus & aliarum rerum mediocritate, vitæque & morum gravitate continuare, atq; illarum usum absolvere possint, in laudem gloriae divinae, sanitatis pristinæ instaurationem atque conservationem, & proximi salutarem usum. Nam profectè justus & æternus Deus abusum Thermarum multiplicem, & punivit haec tenus, & puniturus est deinceps præcipue in ijs, qui cum religiosam Deo pietatem, generosam virtutem, & benevolentiam, & justiciam alijs, modestiam coniunctam cum temperantia, & casti pudoris decore, sibi meti ipsis, ut homines, ut Christiani, ut ingenui, ut generosi, ut nobiles, ut virtutum cultores, præstare deberent, in conspectu amplissimorum & honestissimorum virorum, matronarum & virginum, blasphemis horrendis Dei gloriam deformant, injuria atque violentia hospites, & bonos viros sæpè afficiunt, morum Centauricorum feritate peregrinos offendunt, qui etem infirmorum nocturnis clamoribus, strepitibus, atque digladiationibus perturbant, turpitudine & spurcitie sermonis, gestu-

DE CATACLYSMO

gestuum & actionum, teneram ætatem cor-
rumpunt, ingluvie atque æteria illa plus
quam Boëotica, & ex hac ebulliente Veneris
cupiditate & ferocitate mentem cum cor-
pore, fama, & bonis disperdunt, & animam
exitio sapè obnoxiam reddunt. Hi, ut vin-
dictæ divinæ oculum acerrimum, & gladium
ancipitem ad intima usque animi penetra-
lia descendantem, & mortiferum vulnus in-
fligentem exhorrescere, & novissima vitæ
atque extrema pericula, veterno tandem ex-
cuso, serio cumque pœnitentia-vitæ saluta-
ris, meditari in corde peccandi securitate in-
durato debebant: ita Deum ex animo pre-
cor, ut circuncidat cordis ipsorum densissi-
mum præputium, & mentem illis det meli-
orem, quò effugere imminentem, & celeri-
mè insequentem ipsos iræ divinæ Nemesis in
per Dei gratiam possint. Atque hæc qui-
dem haec tenus.

Cùm autem novam editionem Latini de
Thermis libelli scripti à sanctæ memoriae
viro clarissimo, atque eruditissimo D. Fabi-
ano Summero, fratre nostro carissimo, lon-
go jam tempore desiderarint, & solicite ef-
flagitarint multi honesti & docti viri, qui la-
tina magis, quam germanica afficiuntur le-
ctione: Sub vestræ generosæ nobilitatis, Pa-
tris nimirum & Filii nomine atq; auspicio,
illam

ANNI LXXXII.

illam denuò prodire volui multis de causis.
Nam (absit adulacionis perversum studium,
à quo natura mea abhorret) & religiosæ in
Deum pietatis fidem , & ardens ædificandæ
Ecclesiæ Christi studium , & in asserenda at-
que vindicanda Dei veritate & gloria, excel-
sam animi constantiam vestram , multis e-
doctus testimoniis cognovi. Optimæ præ-
terea voluntatis affectionem atque reveren-
tiā erga Ecclesiæ ministros pios , optimā-
rum item artium cultores , συμπάθεαν , condon-
lentiam & beneficentiam , quam εὐλογίαν , την Rom. 15.
κονσιαριαν , οὐαὶ λατρεγίαιν Apostolus vocat , in ex-
ules , miseris & pauperes , erga meipsum , of-
ficiosam denique benevolentiam expertus
sum : Taceo nunc luculentam prædicatio-
nem virtutum , & experientiæ Patris in usu
plurimarum rerum , prudentiæ & consilii
gravitatem , aperti pectoris candorem , in
asserenda aduersus Pontificiorum atque hæ-
reticorum corruptelas manifestas , veritate
celesti , communicationem bonorum & re-
rum cum indigentibus . Filii verò veræ pie-
tatis amorem sincerum , qui fundamentum ,
forma , atq; finis est omnium virtutum , ani-
mum erudita doctrina & historiarum co-
gnitione excultum , modestiæ & humanita-
tis suavitatem , abhorrentem à Centaurica
illa turba , multis haec tenus scilicet nomini-
bus

DE CATACLYSMO

bus celebrata , quaꝝ religionis & pietatis decus, in profanissima impietate , & horrendis in Deum maledictis atque blasphemis φιλανθρωπίᾳ καὶ γνωστητα in effrenata ferocia, & immanitatem morum barbaricorum, temperantiam & mentis integritatem in foedissima illa crapula & insania ; modestiam & gravitatem, in thralonica morum, gestuum, sermonis & actionum insolentia & impudentia : fortitudinem in violentia : aequitatem in Injusticia , virtutem deniq; omnem in juris, pudoris, & officij convulsione atque violatione ponunt, & flagitosissimè exercent. Sed hos isthoc quidem ingenio & animo præditos , longissimo intervallo à generosa illa πολὺ ἐνγενέω stirpe virtutum pulcerimarum cultrice, omni honore & prædicatiōne digna separemus, Deoq; per pias preces seriō commendemus, in viam veræ pietatis, pœnitentiæ , salutaris sanctitatis, justiciae & τῆς σωφροσύνης (quaꝝ modestiæ , temperantiæ & castitatis decus simul uno verbo exprimit) reducendos. Oro autem ea, qua par est, reverentia, & fide generosam dignitatem & virtutem vestram , ut testificationem hanc meæ erga se observantiæ benigno accipiat animo , atque sua ipsius commendatione & eximia utilitate dignum, & erudita doctrina refertum fratris carissimi libellum suo etiam profe-

ANNI LXXXII.


prosequatur amore , studio atq; patrocinio.
Deum æternum oro, ut diu incoluem atq;
florentem corpore , animo atque virtute il-
lam conservet. Amen : Neagoræ 12. Martij,
anno salutiferi partus, M. D. LXXXIX.

*Generose nobilitati vestra
addictissimum.*

*M. Iohannes Summer, In-
spector Ecclesiarum in
ditione Neagorenſi.*



ILLV-



JLLV STRISSIMO

ET INCLITO PRINCIPI
AC DOMINO, DOMINO
AVGVSTO Duci Saxonie, sacri Romani
Imperij Archimarschalco & Electori, Landgravio

Duringie, Marchioni Misnie, & Burg-
gravio Magdeburgensi, &c. Do-
mino suo clementissimo.

Gratiam & pacem à Deo per Chris-
tum precatur.

MAGNVSILLE BASILIVS
in pulcherrimo libello, quem de
sex dierum operibus scripsit, Mundum
dicit esse ~~περιστέριον τῆς θεογνασίας~~, scholam
cognitionis Dei, & librum scriptum præ-
dicantem Dei gloriam, & arcanam atq;
invisibilem illius magnificentiam; & ideo
collocatum esse hominem in hoc splendi-
diss. domicilium, vt intuens tanquam in
speculo rerum ordinem, positum, magni-
tudinem, figuram, pulchritudinem & v-
sum, agnolcat Deum esse tanti operis ar-
chitectum, sicut apostolus inquit: Invi-
sibilia Dei conspiciuntur in opificio mun-
di. Cum enim omnes illius partes con-
templatur, & in illis & mente & oculis
videt admirabilem cœli temperationem
& æqualē in ipsa varietate cursum astro-

A rum

E P I S T O L A

rum lumenq; cœlestium efficientem
perpetuas & naturæ necessarias vicissi-
tudines dierum ac noctium, mensum &
annorum, æstatis & hyemis, annuam terre-
fœcunditatem fundente magnam vber-
tatem frugum, plana camporum muni-
menta, aggeres montium, vallium amœ-
nitatem, viriditatem sylvarum multiplici-
bus plantarum specieb. distinctarum,
fontium eruptionem ad potionem & me-
dicationem aptam, fluminum opportu-
nam inundationem, maris opulentam &
copiosam interfusionem, ventorum di-
versam & vtilem aspirationem, cæteraq;
omnia cum summa ratione constare vi-
det, fieri non potest, quin numen aliquod
præstantissimæ & æternæ mentis, quam
Deum credimus, & causam boni in na-
tura asserimus, certò statuat. Atq; hæc
universa certo æterni Dei consilio effecta,
& ad certam formam & finem directa,
atq; usus multiplices humano generi ser-
vientes, accommodata sunt eum ad mo-
dum, ut quædam sint nutrimenta corpo-
ris humani, quædam medicamenta cer-
torum membrorum, quædam instrumē-
ta actionum œconomicarum & politica-
rum: ob eamq; causam aëre volucribus,
mare piscibus, terram quadrupedibus,
arbore-

D E D I C A T O R I A .

arboribus montes , valles multiplicibus
plantis , herbis & scaturiginibus imple-
vit . Horum & similium Dei operum , quæ
neq; cogitatione comprehendendi neq; ver-
bis exprimi possunt , consideratione ob-
stupefactus quasi regius propheta in eo
Psalmo , quem de creatione rerum cœle-
stium & inferiorum scripsit , magno cum
spiritu fervore exclamat : Quam magni-
fica sunt opera tua Domine , omnia in sa-
pientia fecisti , impleta est terra bonis tu-
is . Et post hunc Salomon : Omnia , in-
quit , in mensura , numero & pondere or-
dinasti . Quis igitur hominum , cùm & ra-
tione summa constare mundum , & quæ
hoc continentur , omnia ad certum ordi-
nata finem & usum , manifestò deprehen-
dat , quis inquam , tam esse cœcus & in-
fanus poterit , ut vel cum Democrito mû-
dum extitis le dicat erroeo minutissimo-
rum corpusculorum concursu , vel cum
Epicuro , nec ratione vlla instructum nec
providentia munitum , vel cum Theodo-
ro Cyreneo & impio Diagora Deum om-
nino neget ? Quis suæ præclaræ conditio-
nis immemor , contra propriæ conscienc-
tiæ & rationis rectæ judicium & mentis
lumen , veritatem Dei , hoc est , veram il-
lius notitiam in injustitia & contumacia

E P I S T O L A

suâ obscuratam & oppressam continebit? Is nimurum in quo est ~~ab~~ ~~enim~~ ~~nos~~ ~~vōū~~, mens perversa, quæ non regitur luce & affectu naturali, & quæ quod exploratum habet minimè comprobat. Est enim mentibus humanis duplex lumen impressum: Noticia simplex, qua Deum esse certò sci-mus: & ratiocinatio, quæ testimonia illius querit & colligit ex ordine creatura-rum. Ut autē nulla Dei cognitio ex crea-turis hauriri potest, nisi in nobis certa il-lius notitia & eximia quædam intelli-gendi vis insit: ita hāc quasi prælucen-te, ex operibus agnoscimus, esse Deum, & ex perpetuitate creaturarum esse crea-torem æternum, ex gubernatione bonum, ex magnitudine omnipotentem, ex or-dine sapientem, ex vsu φιλαρθρον, ex ad-ministracione justum. Etsi autem æter-na ac infinita Dei potentia cœlum & ter-ram impleat, eaq; tam prope assit singu-lis creaturis, vt quasi manu palpari pos-fit: tamen (vt de cæteris nil dicam mundi partib.) aquæ elemento Deus ab ini-tio mundi hominibus suam potentiam & gloriā ostendit, bonitatem patefecit, justitiam & judicium justum exercuit, quod ipsum scripturæ cùm ἡρμηνεiæ tum divinæ luculentè declarant. Ut enim su-prema

D E D I C A T O R I A.

prema mundi pars ea , quæ Græcis à ful-
gore cœlesti & Æg., Hebræis ab expansione
aquarum rakia Schamaim dicitur, ex hu-
mida massa est cōflata & perpetuò consi-
stit, ita infima illius pars collocata in
media mundi sede instar parvæ cujuſdam
naviculæ, circumfunditur vndiq; illo ma-
ri , quod Atlanticum sive Oceanum ap-
pellamus. Quis autem non jure miretur
potentem præpotentis Dei manum , qua
çelum instar fornícis ex liquida materia
confectum ita sustentat, vt neq; in terram
feratur motu suo, nec impetu conversio-
nis , nec ignis copiâ absumatur : terram
verò , quam fundavit super stabilitatem
suam, vndique mari circumfusam ita te-
net fixam, vt nullis possit opprimenti flucti-
bus marinis. Circundedi enim mare ter-
minis , & posui vectem & ostia , & dixi:
Vsq; huc venies & non procedes amplius,
& hic confringes tumentes fluctus tuos,
inquit ad afflictum lob ipse Dominus.
Neq; verò suam solummodò potentiam,
sed bonitatē quoq; generi humano con-
spiciendā præbuit in aquis. Fluvius enim
ille , quem pro irrigando horto paradisi
Dominus p̄duxit , in quatuor isthinc ca-
pita divisus, quatuor amplissimis regnis,
in quibus propter Solis ardorem & Soli

A 3 duriti-

duritiem aut nullæ aut rara sunt pluviae,
aque vsum suppeditat, ut Indianam quidem
Ganges, Nilus vero Aethiopiam & Aegy-
ptum, Assitiam Tigris, Phrath Mesopo-
tamiam suaviter irriget, hoc non Mosis
tantum, sed Ciceronis quoq; scriptis con-
firmatur. Sic enim in 2. de N. D. inquit.
Aegyptum Nilus, & cum tota æstate ob-
rutam oppletamq; tenuit, tum recedit,
mollitosq; & oblimatos agros ad seren-
dum relinquit. Mesopotamiam fertilem
efficit Euphrates, in quem quotannis
quasi novos agros invehit. Eandem quoq;
cum Nilo naturam habere Nigris, &
eisdem temporib. augescere dicitur à Pli-
nio. Ut autem ingentem amorem & bo-
nitudinem suam Deus ostendit in fovendis
& conservandis pijs opportuna fluminū
excursione: ita judicij justi severitatem
exercuit in impiorum scelerib. vindican-
dis horrenda & stupenda aquarum exun-
datione. Præterquam enim quod totius
mundi prophanum verbi sui contem-
tum, luxum, vagarum libidinum confu-
sionem, & tyrannicam gubernationem
horribiliter puniit, ruptis vñiversis aqua-
rum fontibus & tempestatum fluctibus;
Sodomorum certè insolentiam, omnium
terum luxum & facietatem, æsopias in
paupe-

D E D I C A T O R I A

pauperes , & abominabiles libidinū confusones vindicavit igneo imbre cœlitus delapso. Pluit enim filius Dominus à patre Domino super Sodomam & Gomorrah sulphur & ignem , & subvertit civitates illas & totam regionem illam , quæ propter amœnitatem & fœcunditatem aliás cum paradiſo Dei conferebatur. tantus autem fuit ardor iræ Dei super Sodomam , ut adhuc in illius favillis testimonium certum appareat. Ibi enim ardent aquæ , ibi spectantur poma viridiania , formati uarum racemi , ut edendi generent spectantib. cupiditatem : si manibus contrectantur fatiscunt & resolvuntur in cinerem , sumumq; excitant quasi adhuc ardeant. Neque vero solum in pphanorum autorū , sed eorum quoq; qui res gestas in Ecclesia literis consignarunt , scriptis miraleguntur de fontium & fluminum miraculosis mutationibus. Epiphanius enim contra Alogos scribens affirmat , plurimis in locis , ætate quoq; sua , quotannis revertente , in fontib. & fluvijs aquam in vinum esse mutatam ipsa die ac hora , qua filius Dei in Cana Galilee aquam in vinum convertit. Testatur hoc , inquit , ad Cybiram Carix oppidum fons , qui in vinum vertitur ea

A 4 hora,

horā, qua ministri aquam in hydrias fūderunt, & Dominus ad eos dixit, Date architrilino. Testatur itidem fons aquad Gerasen Arabiæ. Vinum hujusmodi Ci- byre ipsi bibimus: ex fonte autem qui Gerasæ in Martyrio est, fratres nostri bi- berunt. Nec prætereundum est, quod in Evangelij historia narratur de admirabi- li mutatione & facultate sanandi aquæ illius piscinæ, quæ Hierosolymis sita erat ad Probaticam, hoc est, ovillam. (in hac enim & oves lavabatur Pentecostes tem- pore, & earum in sacrificium offerenda- rum extra purgabantur.) Ea singu- lis annis statim tempore, festo nimirum Pentecostes, ut Cyrillus existimat, con- turbata fuit ab angelo Domini, & sana- tus fuit eo die is, qui primus post agita- tam aquam inferebatur. Atque eadem piscina pertinuisse à quibusdam scribi- tur ad Siloam fontē, cuius aqua orieba- tur ex montis Zion radicibus, quæ secun- dum Hieronymum incertis horis & die- bus ebulliens, tenuem quandam & leni- ter fluentem aīnem, vt est apud prophe- tam, efficiebat, & in Iordanem, vel vt alij volunt, in mare mortuum se insinua- bat. Frequentabatur autem magnâ ho- minum multitudine, propterea quod aquæ

D E D I C A T O R I A

āquæ illius divinā virtute salubres erant?
Cum autem in maris mortui mentionem
inciderim, non possum omittere, quin
quod de eo Iosephus comimorat, pau-
cis subijciam. Hic quod nihil præter bi-
tumen gignat, & nihil in eo vivum sub-
mergatur, mare mortuum, seu lacus A-
sphaltites dicitur. *ἀσφαλτός* enim bitumi-
nis significationem habet. Est autem la-
cus omnino fassus, & injectos homines
regurgitat. Ideoq; Vespasianus Impera-
tor redactâ ad πανολαθέαν Ierosolymâ,
cum mira de Asphaltite prædicari audi-
ret, cognoscendi illius naturam cupidus,
demisit quosdam vincis post terga ma-
nibus, hos statim lacus tanquam aura
quædam abominabilis in altum sustulit.
Evomat etiam varias bituminis glebas,
quæ instar taurorū capitum expertium,
aquis supernatant. Qui igitur bitumen
venantur, agglutinatim scaphis suis tra-
hunt, quod nō nisi menstruo mulieris aut
vrina avellere possunt. avulsum verò bi-
tumen, si manib. subactum conteratur in
minutiss. partes, & narib. admoveatur,
terrimū odore, sulphur & picem spiran-
tē refert. quod ipsum ex ea bituminis gle-
ba, quā frater meus ex Italia huc attulit,
manifestè deprehendi. Sic igitur & in hoc

A s . lacu,

Iacu, Sodomitarum & vicinarum regio-
num terram nunc occupante, manifesta
signa iræ divinæ spectantur, & justissimū
Dei rectum judicium celebratur. Quam-
vis enim nec reliquæ creaturæ rationis
expertes, neque aquarum vis prædica-
re Deum vel cogitatione vel voce pos-
sint, tamen sunt, ut Nazianzenus loqui-
tur, πνεύματα τοῦ μυράλονεγίου, muti-
nimirum laudatores & præcones magni-
ficentia, justitia, sapientia, potentia &
bonitatis Dei. Quis enim, ut de alijs nil
dicam miraculosis Dei operibus, non
admiratione & stupore quasi attonitus
aspicere potest ingens præpotentis Dei
miraculum, quo tanquam maximi pre-
cij thesauro patriam meam ornavitis,
qui coelum & terram sua bonitate & effi-
cacia implet, nimirum Dominus. Præ-
terquam enim quod montibus vndique
cincta, arboribus consita, fontibus & flu-
vijs irrigua, vallibus circumscripta sit,
ad radices montis illius, quem Fagorum
appellant non lento effluxu, sed rapido
impetu, non levi aliqua ebullitione, sed
cum magno murmure effunditur juxta
Depolam frigidam, aqua non frigida
sed calida, non tepida sed fervens, non
simplex aut ~~et~~ ^{et} solus, sed mixta & contem-
perata

D E D I C A T O R I A

70

perata multorum metallorum naturis &
qualitatibus, quorum respectu Medica-
ta aqua dicitur, & recte applicata varijs
morborum & affectionum generibus,
medetur. Cum autem frater meus mul-
tum & studij & temporis collocasset in
investigenda & exploranda naturâ, tem-
perie, viribus, operatione & efficacia no-
strarum thermarum, inq; Italia primò
aliquid de illis commentatus esset, atq;
inde in Germaniam reversus, cum in ce-
lebri Academia Vuitebergensi Artis me-
dicæ Doctor creatus esset, rediit in pa-
triam, verno scil. tempore, ut non tam
sua cōmunicaret consilia advenis, quām
ea quæ de Thermis composuerat nova
acceſſione augeret. In harum itaq; terū
cnram naviter intumbens, incidit in gra-
viss. febrem continuam & horridam, qua
cum conflictatus esset per duos mēnſes,
tandem corporis virib. absuntis animu-
lam suam in misericordis Dei manū tra-
dens, in ardente invocatione filij Dei mi-
gravitde labore ad refrigerium, de ex-
pectatione ad prēmium, de agone ad
bravium, de morte ad vitam, de fide ad
notitiam, de peregrinatione ad patriam,
de mundo ad patrem. Etsi autem diu
multumq; dubitarim, an hunc de Ther-

A 5 mis no-

E P I S T O L A

mis nostris tractatum à fratre confectum
prælo submittere debeam, cum non omnibus, ut dicitur, numeris absolutū eum
nec vbiique elaboratum, & multorum
judicijs forsitan iniquioribus subijcien-
dum esse scirem: tamen cum & volunta-
tem fratris de edendo illo exploratè co-
gnitam haberem, & nihil tale scriptum
de nostris Thermis extare scirem, & illi-
us editionem non meis solum popularib.
fructuosam, sed exteris quoq; illis indi-
gentibus vtilem; bonis deniq; & eruditis
viris gratam & commodam fore spera-
rem, non volui nec potui illud suppri-
mere.

Sub tuæ verò Celsitudinis nomine &
patrocinio, Princeps Illustrissime Augu-
ste, hunc parvum libellum prodire in pu-
blicum volui, ut & acceptior esset multis,
& aliquid illi lucis accederet. Quanquā
verò nostræ Thermæ ob autorem Caro-
lum Quartum Imperatorem (multò au-
tem magis ob præpotentis Dei miracu-
losam potentiam) in obscuro loco posi-
ta luce non careant: iamen ante annum
Celsitudinis tuæ præsentia splendore il-
lustriores sunt redditæ. Ut igitur ipsæ
thermæ celebriores à tua Celsitudine
sunt

D E D I C A T O R I A.

sunt factæ, ita libellum hunc de Thermis,
à fratre meo contextum, celebriorem &
acceptiorem alijs futurum speravi, si tuæ
Cels. patrocinio prodiret. Et quoniam
C. T. non solum thermarum nostrarum
spectatrix, sed etiam earum in usu vim
& operationis efficacitatem experta est
tum lavando, tum intra corpus aquam
assumendo, ideo majore cum delectatio-
ne versati in hujus libelli lectione poterit,
præsertim cùm CELSITVD. TVAE sit ar-
dens studium in cognoscendis, acrimo-
nia in perscrutandis, summa dexteritas
in eruendis & judicādis naturæ miracu-
lis, quæ tum in intimis terræ visceribus,
gemmae, metallis, lapidib. tum in aquis
& thermis quoq; nostris occulta latent.
Oro autem eā qua par est vera animi re-
verentia & subjectione, ut & C. T. fratri
mei piè in Christo defuncti (qui annos
quatuordecim in C. T. celebri Academia
hac Lipsica versatus est) studium & la-
borem hunc boni consulat, & me meaq;
studia benignè sibi commendata habe-
at. Quam ut æternus Deus pater
Domini nostri IESV CHRISTI Spiriti
suo sancto confirmet, & diu incolu-
mem & florentem conservet tota mente

pre-

E P I S T . D E D I C A T .

precor , Amen. Lipsiæ 14. Martij , Anne
salutiferi partus M. D. L X X I.

Illustriss. Clement. T.
subjectissimus

Joannes Sommer
M.

TRACTATVS

PRIMVS.

Deo sunt consideranda (ut alia quæ tempore cōmodiore sum tractatus præterea) circa Georgiarum & Zeylon thermarum nostrarum Carolinarum. Vnum quod ea quæ sunt circa fontes nostros calidos loca respicit. Alterum quod ea continet, quæ in ipsis fontibus atque r̄su eorundem cōsideranda sunt. Et si autem de causa caliditatis fontium & de temperie viribus copiosius aliquātudine quædam commemoranda essent, tamen cum hoc tempore ocium tale ut ijs explicandis vacare potuissim, non esset, interim considerationem & expositionem eorum in tempus magis commodū & opportunum distuli, vbi Deo volente & iurāte uberioris ista explicabo. Nunc vero quædam de inventione fontium, non quidem quæ perscripta & literis mandata essent, sed quæ cōmuni relatione & ad posteros translata conservata essent, referam. Non enim quidquam annalibus annotatum reperio, sed tantum rumore vulgatum & notum.

CAP. I.

QVOMODO REPERTI
SINT FONTE S NOSTRI
calidi, brevis commemoratione.

Fama

FAMA est, Imperatorem Carolum, hujus nominis 1111. Boemiae, &c. regem, in his montibus & vallibus, ubi nunc aquæ calidæ scaturiunt, atq; olim densissima silva, et stabula alta ferarum fuerunt, venationes instituisse: Interq; venandum canem ardenter feram insecum, in has, ubi nunc fons ille omnium ferventissimus scaturit, paludes incidisse, & fervore aqua læsum atq; excruciatum, clamorem ingente ex valle ad montes tulisse. Venatorem vero clamore illo & ejulari motum, atq; echo & sonum securi, ratumq; feram esse, qua canem agitaret, devenisse ad locum, ubi ille esset, atq; canem in cæno & palude, ex qua fumus egredere tur, hærentem & clamantem comperisse. Obstupes factum vero rei miraculo proprius accessisse, & aquam feruentem esse qua ita canem excruciatret, sensu deprehendisse: Re quoq; indicata Imperatori, concursu subito numerosum factum eorum, qui cum Imperatore in fauces montium ad videndum natura miraculæ descendissent. Cum vero Imperator sapiens, & medici illius animaduerterent, aqua scaturiginis medicatam, multis humani corporis morbis utilè futurā, Imperatorem ipsum primò in proprio corpore hujus periculū fecisse, atq; levamē mali (ajunt enim ipsū crus male affectū habuisse) persensisse, lœtariq; felici lavationis successu, locum hung habitabilem fieri jussisse.

Locum

Locum autem ubi Imperator primò crus aqua
immersū lavavit, ajunt incola, qui atate reli-
quos superant, fuisse eum, ubi olim communia
balnea fuerunt, & nunc domus senatoria est,
sub qua etiam fons est, sed scaturiginis non ita
ferventis, sed propemodum tepida: monstran-
tamq; superioribus annis esse sedē in petra ex-
cavatā conformatamq; quam sellam Impera-
toris Caroli nominarunt incola, sed vetustate
nunc collapsa est, & locum occupavit, ut indi-
catum est, domus senatoria. Postquam autem
aqua hæc affectū Imperatoria curaſſet, ad con-
ſtruendum & adificandum novum oppidum se
Imperator accinxit, & muro cincturus & mu-
niturus illud fuisset, nisi fatum, nescio quale, il-
lud impedivisset. Testes huic rei sūt adhuc mu-
rorum quādam partes & fragmenta, quæ sub
rupe cœr vorum videntur. Spectantur quoq; ad-
buc in fastigio rupis vestigia cellarum, & si ve-
tuſati creditus, in vertice & cacumine rupis
illius Imperator arcē conſtruere (quæ adifican-
di in cacuminibus montium ratio, olim admo-
dum in Boiemiae regno vſitat a fuit) in animo
habuit. Adhuc autē ab inventore Imperatore
Carolo 1111. thermæ nomen retinent, & Ca-
rolinæ dicuntur. Hæc quidem, ut antè indica-
tum est, seniorum incolarū relatione, non au-
tem perscripta annalibus, conservata fuerunt,
quibus aſſentiri interim quilibet poterit, cum

non sunt alia, quæ diversum & contrarium dō-
ceant. Fuisse autem annum, quo reperti sunt
fontes, à Christo nato ajunt 1370.

C A P V T I I .
D E M O N T I B V S , Q V I
V A L L E M , I N Q V A A Q V A
erumpit, cingunt, deq; eorum
situ.

M O N T E s nostri directè ad plagas seu
cardines mundi non vertuntur, sed à
recta linea declinant. Fagorum enim mons qui
tribus verticibus altus & ingens est, nō recta
ad Ortum se vertit, sed ad septentrionem ea in
parte ubi Cacias spirat, sese inclinat, nisi mons
ille qui nomen habet ab acido fonte, qui in ra-
dice ipsius scaturit, ad meridiem recta linea se
flectere videatur. Mons autem qui nomen ha-
bet ut reor, à stridore lapidum aut pedum, ob
montis præcipitem situm, mobilitatem, quem
vulgo den Hirschberg vocant; non directè Me-
ridiem spectat, sed ad Occidentem se inclinat:
neq; ingens rupes illa cervorum, quam vulgo
vocant den Hirschenstein/ recta ad Occiden-
tem vertitur, sed declivem ferè universi ha-
bent intuitū. Sunt præterea etiam duo montes,
sed non adeo magni, qui septentrionem intuen-

zur

tur, quorum unus, qui nomen accipiens à multitudine saxorum minutorum, atq; ideo vulgo der Steinberg vocatur, depresso est colliculo similis alter verò, quem vernacula lingua den Klitschenberg vocant, major & altior est. Fluvius verò, quem incolæ vocant Depolam, sine dubio à depli/ quod Boemis calidum aut tepidum significat (miseretur enim aqua fluviij cum fervente in quibusdam locis, unde tepida existit) per curvam vallem curvo etiam fluxu labitur; & prope colliculum saxorum in egram fluvium influit.

CAPVT III.

DE QVIB VSDAM, QVÆ
CIRCA HOS MONTES
observanda sunt, & quomodo Depola
fluvius oppidulum in duas partes
dividat; atq; de lapide illo to-
phaceo, qui ex lapillis ro-
tundis, pisis similib.
conflatus est.

MONs fagorum nomen accepit à fagis,
qua plurimæ in eo fuere, nūc verò ijs cæ-
sis & ablatis, arbusla tantum visuntur. Verti-
ces tres quasi remigantes habet, & sapè ignes
erraticos nocturno tempore spectantibus, indi-
cia sulphurearū exhalationum, qua ex monte
egredi-

B 2. egredi-

egrediuntur, ostendit. Depressior monticulus, qui à latere hujus discedens, Meridiem versus flectitur, acidula mons, vulgo der Seewerlingsberg nominatur. In calce enim hujus mōis fons acidus cum murmure & ebullitione sonora scaturiens, aquam sursum propellit. Est enim spiritus in illa aqua sulphureus mixtus cum alumine, & aliqua ex parte etiam Chalcantho. Usum magnum potatibus, praesertim ijs, qui ex calida causa vel rākoshuāxoi, vel nephretici, vel alio simili morbo affecti sunt, affert, nec in lavando est incomoda, si praesertim morbi à calida causa ortum traxerint. Rupes verò illa, seu saxum cervorum, quod vulgo vocant den Hirschenstein, vt præterea montem, quem nostri den Zschirrlberg nominant, ideo dictum existimant, quod in illo plurimi cervi commoditate loci & voluptate allecti & ducti, frequenter commorati fuerint, & desuper asspergerint in valle labentem fluvium. Rupes autem illa in tres partes divisa est, quarum prima, quæ monti Zschirrlberg dicto vicina est, altissima est, media depressior, vltima altior existit. Estq; rupes tam magna, vt montem aquare videatur. Imminet autem oppidulo & spectaculorum multorum interdum occasio est. Mons autem saxorum minutorum, quem vulgo den Steinberg nominari indicavimus, nomen habet à lapia in star marmoreorū strue & multitudine Manus.

gnus enim acervus lapidum mutuò in se se in-
cumbentium visitur, ut quasi monticolo similis
videatur. In calce hujus, quercus est qua in sa-
xum induruit, sed extra terram eminens pars
dissipata est, radices vero universa saxeæ, atq;
ex quidem magna visuntur, cortice etiam ra-
morum quorundam extra terram prominenti-
um saxeo.

Divisum est oppidulum, ut indicatum est, à
fluvio vallem perlabante, in duas partes, qua-
rum altera, ubi tēplum est, plena est abomi-
nabilium, & in quibusdam locis, ubi terra ege-
sta est, venenatarum exhalationū. Sub cœmi-
terio enim, ubi calcis eruēda causa fodina fa-
cta est, exhalationes venenatæ prodeunt, ut ani-
malia forte in eam cadentia enecentur, quem-
admodum ipse gallinas multas in ea suffocari
conspexi, nec non alia animantia. ut nuper ca-
pellam in ea extinctam extrahi vidi, & puer
quidam nisi opem illi tulisset, extinctus au-
rā illā fuisset. Nec est hæc fovea absimilis illi;
qua in Campania est ad Puteolos, vulgo à Po-
zolo non procul à lacu Agnano, in quam, ubi
canis immisus, statim illa aura venenata corri-
pitur, & nisi aqua vicinileus aspergatur, e-
necatur Extinguuntur etiam in ea fovea, qua
vulgo Lagrotta venenata dicitur, candelæ ac-
cenjæ, quemadmodum ipse unam statim in eam
immisam extinguiri vidi. Sed quid miramur illā

B 3 foveam

foveam ad Tuteolos, ad quā velut ad miraculum, multi variarum nationum proficiuntur, cū hic in his Caroli thermis multæ tales foveæ, quarū maxima pars terrâ obruta est, qua tam auram spirent, reperiantur, auram ayeem illæ nostri vocitare consueverūt den schwaden.

Sub cæmiterio effodiuntur lapilli rotundi pisces similes, in massam velut tophaceam cōcreti, mirabile relatum, quomodo natura formare potuerit tā rotundos & glabros, & tam varij coloris, & ita mutuo inter se cohærentes lapillos. Existimo autem ego (dolioribus semper sua iudicia relinquo) eiusmodi formam lapillorum ab affluxu successivo aquæ, & illius quam illa continet materia accretione generari. Dum enim aquæ fluxus materiam ex arenulis multis conflatam, eandemq; persicabilem, perlabiliter granula illa arenosa materia cōmentosa & calcea circundantur, & per accretionem semper confirmatio illa augetur. Quia autem arenulæ illæ rotundæ sunt, ideo etiam accretio rotundam formam retinet. In illo autem loco in magna copia saxum calcarium effoditur, zonis veluti varij coloris distinctum, quam diversitatem colorum & materierum ex alluvio novæ aquæ & materia ad priorem, generatam esse opinor. Nec solum vnius & eiusdem formæ & consistentia saxum calcarium spectatur, sed variæ, quedam enim partes sunt rubrae, quedam candidæ,

candidæ, quædam cinerei coloris, quædam etiam densissimam habent substantiam & candi-
dissimæ sunt, ut Gypso non absimiles videri
possint, quædam arenario saxo & quasi mar-
moreo imbutæ spectantur, quædam cavernosæ
sunt, & inæqualem omnino & secundum co-
lorem & substantiam naturam habent, que
varietas omnis ab aquæ varia materia imbu-
ta oritur. Format enim & generat aqua sa-
xum calcarium, nec ut quidam opinati fue-
runt, aqua ex saxo calcario effervescit. Ex allu-
vione igitur istarum zonarum varietas gene-
ratur, cum aqua semper novam materiam ad
priorum applicat, & ex perennitate affixue,
interveniente semper nova materia, per ac-
cretionem talia colorum discrimina pingit.

CAPUT IIII.

DE FONTE COMMU-
N I, Q V I O M N I V M S C A-
turiginum, quotquot in nostro oppi-
dulo extant, est ferventissimus, deque
saxo calcario alterius generis, quod
canalibus adhærescit, & de so-
liorum seu balneorum
ordine,

B 4 N O R

NO n procul à templo, ubi versus Depo-
lam flurium descenditur prope pontem,
fons spectatur admiratione dignus, qui ad aquā
gelidam erumpens, magno cum murmure &
stridore aquam ferventissimā profundit. Aqua
tanti est fervoris & astus, ut simplicem aquā
jam spiritū calore ebullientem superare vide-
atur, in ipsa enim & ova coquuntur, & galli-
nis plumæ vi fervoris illius detrahuntur, ali-
aq; quamplurima sunt, quæ calore aquæ sim-
plicis perficiuntur. Scaturigo autem fontis, pro-
pterea quod cum murmure & quasi cum fre-
mitu ebulliat, lingua nostra vernacula voca-
tur der Brudel.

Diductus est fons in duas scaturigines, in
quas ambas duo intus cava foris verò saxo
calcario obducta ligna inserta sunt, quæ aquam
ebullientem cogunt & retinent, ne ad latera
discedat & diffuat, unde senviente & fremete
intus spiritu, magno cū impetu aqua sursum fer-
tur, & in capsulis quæ duob. illis lignis cavis
impositæ sunt, colligitur, quib. canales nume-
rosi appliciti, deducunt aquam in ædes hospitium
ad lavantium cōmoditatem. Quod autem me-
atus illi cavi in ipsis lignis, ob lapidis, vt in alijs
meatibus cōtingit, generationē non obstruan-
tur, duplex causa est. Vna quod aqua fervida,
nisi terrā aut aërem frigidū attingat, partes
æromotoriæ & diversas nō secernat, sed diffu-
sas per

sas per aquam & exactè permislas relinquit,
 quod alias non sit, si aqua aëris alterationem
 patiatur, tum temporis enim materia saxi cal-
 carij & arenarij secernitur idq; eo magis &
 citius sit, quò aqua fervore suū magis remise-
 rit. Altera causa est concitatissimus ille motus
 & impetus, quo sursum per cavitates illas aqua
 propellitur, eo enim tempore secretio commoda-
 fieri non potest, quæ magis in lento lapsu sit &
 contingit, quod manifestum est in ipsis canali-
 bus, per quos tardo motu aqua labitur, eo enim
 in casu copiosum saxum calcarium generari con-
 speximus. Tantus est motus & impetus aquæ,
 quæ in capsulae propellitur, ut in aëre alitu-
 dine non vulgari, nisi rimæ capsularum essent
 obstructæ, rolleretur. Mater enim mea mihi re-
 tulit aquam ex altera capsularum tanta vehe-
 mentia in aërem superiori tempore projectam,
 vt altitudinē domus nostra (est enim fonti vi-
 cina) & quare illa ejaculatio visa fuerit, quod
 mirum non est, cum tanto fervore spiritus,
 præsertim conclusa in altum efferatur. Rumor
 etiam de hac fervetissima scaturigine in mul-
 tas regiones superioribus annis transiit, eā ob-
 avaritiam incolarū aliquando fluere desivisse.
 Etsi autem ego avaritiam non laudem, sed vt
 vitium reprehendā & detestor, tamen ea cau-
 sa non est, sed eruptio in alio loco, qua rīgenie
 scaturigo cessavit, aqua nimis ad eum locū

collecta. Semper enim remissior sit motus aliquius scaturiginis in nostris thermis, si in alio loco aqua sibi egressum querat & viā patefaciat. Tum hūc spargit magnum, ob fervorem aquae & copiam. Etq; ille multò densior, si aēr crassior & humidior fseri incipiat. Rarior autem & minor, si aēr sit siccius & rarer. Facilius enim in ea cōstitutione aēris siccii & rari diffunduntur, liberumq; habet egressum & exhalatiōem fumus, quam in cōstitutione contraria crassioris & turbidioris, vbi ille retinetur, & in magna copia ad pontem & loca vicina oberrat. Ideoq; incolæ in hac cōstitutione dum fumus augeatur sibi imminentis pluvia & tempestatiū indicia sumunt, cum autem rarior & minor fumus apparet, serenitatem futurā esse prouniciāt. Ut verò ad canales illos redeam, qui capsulis inserti sunt, ubi quidem numerosi & diversi mutua insertione quasi cohæretes, & nunc per longitudinem Depolæ fluvij deducti, nunc verò per latitudinē, & per fluvium exporrecti, circulum adib. immittuntur, vt per illos labens aqua in solia & balnea influere possit. In ijs autem canalib. saxum calcarium, nunc densū & compactum, nunc rarū & quasi laxum & velut saxum arenarium, modò ruffi, modò flaviaris cuiusdā coloris conspicitur. Quo enim magis vicina fonti aqua emanat, eo magis densum & compactum, & coloris veluti ruffi cernitur:

etq;

etq; hoc est saxum calcarium. Quod autem magis remota à fonte aqua hac fluit, eò magis rara & laxa est illius substantia, colorisq; eiusdem crocei, nec multum à saxo arenario seu marmoreo differt. Aqua quæ fonti vicina est, ob fervorem suum, & quod viscosa illa pinguedo rubricæ nondum per vaporem resoluta est, saxum magis densum, & propter ingentem calorem veluti russum efficit. Quæ vero à fonte remota est, calorem non ita ferventem habet, nec adeo multum viscosæ illius pinguedinis continet, propterea quod illa per vaporem dissipata sit: atq; ideo rarum & arenosum saxum apparet, & non ita russum ut prius ob fervoris remissionem. Copiose etiam illud generatur ob secretionem maiorem, quæ ab aeris alteratione & refrigeratione oritur. Id quod h̄ cives experientur, qui per longas ambages aquam in suas ades deducunt: Coguntur enim s̄pē saxum illud copiosum ligonibus avellere & removere, quod si non fieret, canalium illorum cavitas lapide illo implere tur, nec aqua fluere posset. In minori autem copia generatur, cum aqua ferdida est; eo enim tempore minor fit secretio, & per consequens etiam minor copia, propterea quod aqua magnam alterationem nō passa fuerit. Viscosa autem illa viriditas, quæ passim in tenui & refrigerato aquæ fluxu, modo in canaliis, modo soliorum parietibus conspicitur,

B 5 viscosa

viscosa boli cum quibusdam partibus Chalcan-
 thi mistæ soboles esse videtur fit enim illa morsa
 temporis nigra, quod non fieret si non Chalcan-
 thi aliquid & rubrica, quæ mater ferri est, in
 illa viscosa pinguedine messet. Præterea circa
 parietes canalium exteriores albicans materia
 spectatur, quæ nihil aliud quam nitrum salis &
 aluminis particeps est. Testatur hoc gustus. Sed
 hoc observandum est, nitrum illud hoc modo
 permisum interdum plus saxi calcarij, inter-
 dum minus continere, plus enim habet quo à
 fonte remotius est, minus quod propinquius:
 Præterea hoc quoq; notandum est, illam nitro-
 sam massam calidiorē interdum sentiri, inter-
 dum frigidiorē esse. Calidior est, quæ per va-
 pores ita generatur, circa fontem & aquas ca-
 lidas existens. Frigidior verò est si alio in loco
 non ad fontem aut calidam consliterit. Genera-
 tur enim hæc nitrosa massa non solum ad fon-
 tem, sed alijs in locis quoq; Est enim totus tra-
 elus, vbi incola habitant, exhalationum ple-
 nus, ex quibus talis materia producitur. Sed
 ad fontem redeamus. Prope fontem ad latus si-
 nistrum, vbi de templo ad pontem descenduntur,
 est planities quædam, vbi per foramen canalis
 lignei aqua ad varios usus defluit, ibi enim &
 gallinis plumæ & porcis setæ vi fervoris aquæ
 detrahuntur, ibi omnia rasa purgantur, ibi
 aqua ad macerandum fænum, & alia pabula
 sumen-

jumentis proiecta colligitur, ibi aqua ad sa-
 rinam subigendam & panem coquendum ha-
 ritur. Præstatq; hæc aqua omnes ferè vsus qui
 alias simplicis aquæ calore percipiuntur: nisi
 quod indumenta linea aquæ intincta ruffum
 quendam colorem contrahant ob rubrica seu
 boli ruffæ, quocunq; nomine quis appelleret per-
 missionem. Ad latus vero dextrum in eadem
 regione, vbi pons incipit, commune est balne-
 um, das gemeine bad / distinctum in duo con-
 clavia magnorum soliorum, in quorū uno vi-
 ri lavant, altero fœminæ, patetq; ad hæc bal-
 nea omnibus accessus tam civibus quam adve-
 nis, nisi iij vel scabiosi vel leprosi fuerint, vel
 alia vlcera periculosa patientur. In hoc enim
 casu ab his balneis eiusmodi homines arcētur,
 & ad vicina balnea his contigua relegantur.
 Sunt enim tria lavacra seu folia pro his infectis
 constructa, quæ distincta sunt secundum genera
 morborum, alio enim qui simplici scabie infecti
 sunt, alio qui lepra, alio qui vlceribus magnis
 infestantur, lauant. Deceret autem, ut leprosi
 & contagiosis alijs morbis infecti, communem
 hominum conuentudinem vitarent, & in loco
 remoto ab illa degerent, quæ curatio tam ad
 eos, qui singulis annis ex regionibus suis ad has
 thermas tales infectos alegant, tam etiam ad
 incolas pertinet, quamvis iucolæ alias médica-
 rum, & quorundam aliorum agyrtorum mul-
 titudine

titudine satis graventur. Deberent enim ex regiones, ex quibus tam numerosa infectorum turba ad has thermas venit, aliquid in mediū conferre, vnde tales sui homines in loco à reliquis separato sustentarentur. Sed quid fiat animadvertisit quotidie, dum eiusmodi homines in vulgus prodeunt, & tam hospitibus quam incolis sunt molestissimi. Sed de his satis. Nunca reliquis aliquid commemorandum.

C A P . V .
D E P L A T E A C R V -
C I S , A T Q V E A L I I S
scaturiginibus.

IN limine ferè communis alterius balneari, vbi fæmina lavant, scaturigo est aqua non ita ferventis ut illius communis fontis, sed tepida, quaे intus sonit & murmur ob spiritus agitationē edit, proditq; ibi aura abominabilis, vulgo vocata est der Schwaden. Sed locus ille ita terra munitus, vt illa aura vim suā exercere non possit. In vicinia, vbi balnea contagiösorum desinunt, incipit platea, quaे Crucis platea dicitur. Suntq; in altero latere, quod Depolae fluvio imminet, balnea numerosa, quibus homines tenuioris conditionis lavare possunt: unum tantum balnem in altero latere versus montem est, quod aquam ex scaturagine

non ferventē, sed tepida profluentem excivit,
 reliqua uersa ad Depolam sita sunt. Ea pla-
 tea usq; ad fornacem seu focum, ubi saxum cal-
 carium in calcem coquuntur, se extendit, estq; in
 altero latere rupes magna quæ illi imminet.
 Non procul ab eo foco ubi saxum calcariū in
 calcē exuri ostensum est, est fonticulus parvus
 in horto quodam, qui nō ferventem, sed tepidā
 aquam profundit, cerniturq; ea in regione pa-
 vimentum terræ albicas propter nitrum, quod
 vapore productum illi adhaerescit. Ab eo fonte
 procedendo deorsum versus molendinum, olim
 fuerunt fodinae ferreae, ex quo colligo nostras
 thermas omnino ferro non carere. Reperiuntur
 ibi venæ coloris viridis viscosa quadā pingue-
 dine obdulta, quæ ostendunt chaleanthum mi-
 sceritum exhalatione pingui, venæ enim illæ
 virides astringentem facultatem cum quadam
 acredine possident.

E regione trans' fluvium pratum est patria
 mei Iohannis Sommeri, pia memoriae, in eo pra-
 to lotus est, qui tempore hyemali nive, licet per
 totum pratum densa iaceat, non tegitur. Con-
 tingere autem id reor ob exhalationes copio-
 sas, quæ tempore suo nivem omne resolvunt, un-
 de semper nuda & sine nive spectatur, nec ibi
 herbae varijs generis, ut in vicinia eiusdem prati
 locis sit, producuntur. Procedendo sursum in
 eodem prato Meridiē versus iuxta rupem il-
 lam, quæ

lam, quæ fluvio imminet, ad latus dextrum est
 locus editior, qui totus paludosus existens, sca-
 turiginum multarum plenus est, quæ univer-
 sae tepidae sunt, atque ideo non cum tanto impe-
 tu & tumultu erumpunt, ut fons communis ille,
 sed levi & rara ebullitione aquam propell-
 lunt. Infra verò ad radicē rupis etiam scatu-
 rigo aquæ tepida spectatur, eiusdem ferè natu-
 rae cum prioribus, nisi quod interdum ratio-
 ne venarum variarum, per quas fluit, aliquid
 inde vel assumat, vel deponat. Ibi in inferiore
 rupis parte nitrum per exhalationes produ-
 ctum omnino album visitur, nec non nigræ li-
 neæ & colores, chalcantosæ cujusdā evapora-
 tionis indicationes. Hæ scaturigines parum sa-
 xi calcarij, multum autem nitri continent. spi-
 ritumq; sulphureū non habent ita copiosum &
 ferventem, ut aliæ scaturigines. Post rupem in
 progressu fluvium versus, ubi in hortum quen-
 dā descenditur, plurimæ scaturigines aquæ te-
 pidæ sese offerunt, sed notabilis ad molendi-
 num spectatur, quæ ex rupe illi vicina prorum-
 pit. Multū ea habet halimitr, parum saxi cal-
 carij; ut ferè reliqua omnes in eo tractu scatu-
 rigines. Quapropter nō adeò validè excusat &
 calefacit ut aqua communis fontis: Unde om-
 nibus morbis quibus opus est incisione, atte-
 nuatione, & penetratione, citra magnam re-
 siccationem, & virium resolutionem, atque
 consti-

constitutionibus aliquantò calidioribus prodest.
 non enim ita insigniter calefacit , vt fons ille
 communis. Valet etiam pricipue in abstergen-
 do , & cutim rodendo , unde pituitosis arthriti-
 cis utilis est. E regione molendini in rupe com-
 memorata est vena omnino alba , nitri , alum-
 nis , & exigni saxi arenari ferax , propter co-
 piosas exhalationes , quae in toto illo tractu sunt
 maxima . atque haec magis sentiuntur , quo
 aer ad mutationem constitutionis humidioris &
 futura pluvia magis declinat. Non procul est
 Nosodochium , quod liberalitate Stephani Schi-
 conis anno 1531. extructum fuit , estq[ue] paupe-
 rum & male affectorum dox[er]o. Sed peregrini
 plures , pauci verò illius loci homines in illo mo-
 rantur & sustentantur. Dum ulterius iursum
 progredimur , hospites morantur , qui ad Depo-
 lam fluvium pro ditioris conditionis hominibus
 hospitia habent , quorum quidam duo , quidam
 tria , quidam etiani quatuor solia seu lavacra ha-
 bent , que pro varijs affectionib[us] & conditione
 hominum constructa , in una domo plura , in al-
 tera pauciora videntur. Sepe enim accidit , re-
 cum plures in eadem domo morentur , non au-
 tem simul omnibus lavare sit integrum , pro se ,
 aliis rursus pro se , peculiare balneū expetat. &
 regione in altero latere rupes est , cui arx imposi-
 ta est , sub illius radice olim scaturigo ebullitione
 sonora extitit , cuius aqua reliquis scaturiginib[us]

C

de qui-

de quibus iam aliquid relatum est, calidior quædem, sed communi fonte tepidior extitit. Dictæ fuit superioribus annis scaturigo hæc Creusina, ab hospitio illius nominis celebri, vulgo verd, propterea quod citè cutem corroderet, defresser. In corrodendo enim cuim, & quod citè hoc & potenter faceret, communis fontis in hoc casu vires superabat: Nunc autem ea scaturigo fimo obruta est magno cum detrimento hominum: pro imbecillioribus enim ea vtilis erat, nec tantas impressiones ut aqua fontis communis faciebat. Horror autem eos dominos, quibus communis respectus huins nostri oppiduli incumbit, ut eam iterum aperire iubeant, rem pro lavatione, quam potu & suffis quoq; commoda esse possit. E regione senatoria domus est, sub qua etiam, ut multis alijs in locis, aquæ tepida scaturit, sed fornice inferius ita comprehensa, ut cerni non queat, nisi in defluxu, dum per canales subterraneos labens, in Dæpolam fluvium influit. Eo in loco, ubi domus senatoria est, olim communia balnea fuere, que nunc trans fluvium prope pontem constructa visuntur. Fuerunt ea balnea in loco depresso sita, & muro conformata & expolita, descensumq; ad ea fuit per gradus, & eodem modo distincta parietibus, ut ea quæ hodie extant pro sexus ratione & respectu constructa. Deducta autem fuit per flumen à communi illo fonte aqua fer-
ventissi-

uentissima immissaq; fuit in ea , cumq; nimis
esset calida , tepida illa quæ eo tempore atq; in eo
loco scaturiebat per canales certos immissa ,
contemporata fuit , vt vsui lavantibus esse po-
tuerit. Corroxit autem ea tepida aqua adeò po-
tenter cutim , vt nomen prioris sibi acquisiverit.
Eo in loco , vt antea est indicatum , Imperato-
rem Carolum primò lavasse memorant. Sed de
his satis , nunc de balneis seu solijs aliquid refe-
rendum est.

CAP. VI.

DE SOLIIS ET BAL-
NEIS, ATQVE DOE-
POLÆ FLUVIO.

VT antè commemoratum est , canales lignei
plurimi capsulis illis áubus , quæ cavis
illis lignis impositæ sunt , inserti sunt , qui tam per
longitudinem ubi platea Crucis est , quam per
latitudinem per fluvium exorrebit in aedes &
balnea hospitum insiguntur. Habent etiam , vt
antè relatum est , quidam hospitum non unum
sed plurima balnea , quæ pro advenarum com-
moditate & varietate constructa sunt. Ea bal-
nea in figuram ferè quadratam conformata , &
scannis , vt lavantes sedere possint exornata ,
quotidiè expurgantur , eductâ aqua immunda ,

C 3

& in-

& immissa recenti & nova, nisi quis eam pro
 cutis corrosione diutius remanere velit. Eo enim
 in casu magis cutim rodit quam recens, si pra-
 fertim ea tepidior fuerit. Conferunt vero im-
 missa aqua velut calceam pinguedinem cuticulae
 humanae non absimilem in summo contrahit.
 Eam oriri credo a saxe calcarij & arenarij vi-
 scositate seu pinguedine. Si enim ea materia re-
 sicetur & teratur, in pulverem resolvitur, ut
 recte censuisse mibi visus fuerit vir quidam do-
 elissimus, qui eam florem calcis appellavit. Ma-
 ior autem illius velut cuticula copia genera-
 tur, si confertim aqua immissa fuerit, minor si
 lento & tenui lapsu immittatur, propriea
 quod in tenuiori & minori lapsu aqua refrigeratur,
 & per vapores hac materia, quæ in ipsis
 copiose inest, in auram discedat & dissipetur.
 In lapsu autem densiore & copioso illi vapo-
 res retinentur, unde maior quantitas illius su-
 pernatantia materia generatur. Et certe ho-
 spites, qui ignorant, an in aqua nitrum, aut sul-
 phur aut rubrica, aut quanam minera pre-
 dominet, hic cautiiores esse deberent, ne, dum
 resiccati & caleficii corpus debet, aquam te-
 nui sillicidio per totam noctem immissam &
 refrigeratam patientibus offerrent, sed una vi-
 ce & conferunt in balneum, ut noctu refrige-
 rari posset immitterent, ita enim spiritus & vir-
 tus melius retinerentur, quam in altero sillici-
 dio rbi

dio, ubi per vapores illa dissipantur. Ubi verè minus calefacere & resiccare voluerimus, conferret illa ita tenui & parvo lapsu excepta.

Depola fluvius, ut antè indicatum est, curvo lapsu per oppidulum descendit, illudq; in duas partes dividit. Labitur autem ferè universus super saxum calcarium arena rectum, non enim illud nisi paucis in locis cernitur. Hoc tamen & incola, & in primis avunculus meus Bartholomæus Neker memorant, sub supremo ponte saxum calcarium & in vicina effossum esse album, quod Depola fluvius ita abluerat & album fecerat, nec venam illius saxy amplius apparuisse, & deprehensa esse manifesta vestigia fluxus, nec ibi saxum illud extitisse, nisi ubi aqua fluxisset: Unde iterum colligo, hunc lapidem ab aqua generari, non aquam ex illo effervescere. Sunt præterea in ipso fluvio multæ scaturigines aquæ ferventissimæ, quæ magna cum ebullitione & sonitu interdum prorumpunt. Sed de his alias.

Nunc ad tractatum secundum, de v-
su aquarum propositum ac-
cedendum est.



T R A C T A T V S
S E C V N D V S.

D E V S V.

Quomodo hac nostra aqua incalescat & efferveat, an in ipsis venis rbi focus caloris est, an verò extra venas per continuitatem partium agente spiritu sulphureo vehementer & magna in copia, indicandum est, Deo volente, commodiore tempore, plura natq; de his nostris thermis conscribere in animo habeo. Nunc verò de temperie, viribus & vsu pauca referam. Et quantum ego ex destillatione, decoctione, usione, & evaporatione naturali, cui fides habenda est maxima, (propterea, quod in artificiali qualitas nova in aquas, quae in ipsis non est, introduci potest) etiam ex gustu, visu, seu ijs, quae ab aqua in canalibus & alijs in locis deponuntur seu separantur, tandem etiam ex effectu colligere potui, nostra thermæ conflatae sunt ex nitro salis particepe, calcario saxo, alumine, spiritu sulphureo, rubrica, chalcantho, & bolo alba. Quod nitrum salis particeps contineant, probant cum multa alia, cum præcipue gustus & visus. Illud enim copiose in ipsorum canalium parietibus concresum, nec non alijs in locis ut petris, adhaerens.

scens.

scens cernitar : gustus etiam acredinem pene-
 trabilem cum fervore ingentem percipit indica-
 tiones manifestas nitri. Salis etiam nota mani-
 festa ijs sunt qui gustu reliquos superant , &
 multis enim cum gustarent hanc aquam , salem
 in ea esse audiri , deinde etiam sensu salis nota
 reprehenduntur . Hi enim quibus cutis ab aque
 usu tepidiore corrosa est , de salis mordacitate
 & acridine saepe conqueruntur . Audiri etiam
 a senioribus incolis , cervos cum adhuc silvæ co-
 piæ essent , & pauca domunculae , ad canales
 aquarum ligneos descendisse , & sal ab ijs abra-
 sisse & linxisse . De saxo calcario res non est
 controversa , omnes enim saxum calcarium tam
 in canalibus quam extra canales & terræ cu-
 niculis copiosum cernunt . Alumen gustus re-
 fert si præsertim aqua refrigerata fuerit . Usus ,
 licet confundi propter coniunctionem cum ni-
 tro , sale , & saxo calcario , & quod sint hac
 omnia eiusdem ferè coloris videatur , tamen alu-
 men velut plumosum in quadam evaporatione
 in muro quodom fonti vicino concreta , ad sen-
 sum monstrari potest , ut in posterum nulli dubi-
 um , an alumen in his aquis insit , esse possit , et si
 multos atq; præstantissimos medicos sciam , qui
 omnino alumen in his thermis nostris inesse ne-
 gent . Præterea effectus quoq; monstrat , alumen
 esse in aquis nostris : roborat enim ventriculum ,
 appetitiam excitat , & omnes partes nervosae

C 4 confor-

confortat, quod certè neque nitrum, neque
 calx & sulphur faciunt. Tandem etiam natura
 loci ostendit alumine imbutas has aquas esse.
 in vicinia enim fodinae mineræ aluminosa repe-
 riuntur. His igitur munitus argumentis affir-
 mo, nostras thermas alumine quoque imbutas
 esse. Quod sulphur habeant, ostendit odor, qui
 est certissimus index sulphuris. Si enim quis vel
 vimen aliquod vel culmum straminis ad aquam
 destillantem suspendat, & per eum aliquot die-
 bus & noctibus aquam descendere & distilla-
 re sinat, statim saxum calcarium circa culmum
 ad formam & figuram illius convolveret &
 concrescat, inde si culmum aut vimen extraxe-
 rit, statim cavitas illa, vnde culmus extra-
 ctus est, odorem sulphuris spirabit & referet.
 Præterea saxi calcarij exustio sulphur common-
 strat. Cum enim saxum calcarium iam ferè ex-
 ustum est, ignis caruleus & flavus circa illud
 saxum errans spectatur, cum tetro odore qua-
 lis est sulphuris, vnde manifestissimum est, has
 aquas sulphur (etsi quidam Medici fuerint, qui
 illud quoq; negarint) habere. Ab isto autem
 igne, calcis ustulatores indicium sumunt, satis
 exustum esse saxum, & nunc calcem factam
 esse. Utrum verò spiritus sulphuris, an verò ip-
 sa sulphuris substantia in his nostris insit, multi
 fuerunt qui dubitarent. Ego verò magis decli-
 no in eorum sententiam, qui spiritum sulphure-
 um asse-

um afferunt, propterea, quod nunquam substantiam sulphuris reprehendere potuerim. Si enim substantia illius inesset; sine omni dubio illa circa fontem & scaturitionem concreta spectaretur, ut ego Neapolitano Pozolo alla sulphurata, sulphur in substantia circa ebullitionem concretum vidi. Sed ne mica quidem sulphuris in substantia ad hos nostros fontes cernitur. Unde miror, quomodo quidam Medici ausifuerint, scribere has nostras thermas à prædominio esse sulphureas. Rubricam in aqua inesse ostendit quoque sensus & loci natura. Sensus quidem visus, ego enim in ijs canali paretibus, ubi aqua lento fluxu destillat, rubricam vidi, atque eam manibus meis subpinguem tractavi. Feci etiam periculum cum ramo piæ, quem aqua immisum, per duos dies & tot noctes ibi reliqui, post verò illos dies illum ramum rubricæ plenum extraxi. Loci etiam natura idem probat, si sensui credere nolimus, multas enim acidulas novi in vicinia, quæ rubricam producunt, ipse enim canales illos terrenos, per quos aqua acida labitur rubricæ plenos confexi, & credo harum acidularum aquam in hac minera non nisi calore à calida nostra differre, et si sciām multa alia esse quib. inter se dissentiant. Chalcanthum probat gustus, ego enim, ut ante indicatum est, venas virides non procul à fonte reperi, & mineram illarum gustans,

percepi astrictionem quandam cum acredine,
 immisi etiam decoctum gallarum in aquam cali-
 dam, & deprehendi eam colorem quendam sub-
 nigrum contrahere, quod certe non fieret, si om-
 nino nihil chalcanthi in aqua inesset: præterea
 sunt in vicinia venæ mulæ chalcantosæ, ex
 quibus chalcanthum desumitur & excoquitur.
 Bolum album & pingue, calidam nostram ha-
 bere ostendit etiam visus, nam ad fontem &
 alia loca cernitur densata & compacta, &
 miscetur interdum in densatione cum rubrica. Vidi
 præterea colles statim in vicinia ex hac bolo con-
 flatos, per quos sine omni dubio aqua fluit, &
 ab ijs hanc materiam abradit, quæ fervore coa-
 tua in materiam saxo calcario non absimilem-
 abeat. Prædominantur in his relatis minerali-
 nitrum & saxum calcarium. Sunt enim hæc due
 minera copiosæ in thermis nostris: nitrum enim
 non solum in ipsa aqua, sed in evaporatione quo-
 que copiose inest, nec solum in parietibus cana-
 lium & alijs in locis accretum, sed etiam in ter-
 ræ pavimentis cernitur. Præterea ipsius abun-
 dantiam ostendit præcipua operatio, quæ in his
 aquis manifestè deprehenditur. Abstergit enim
 fortiter & potenter calida nostra, quod alias
 non fieret, si minor quantitas nitri inesset. Saxi
 calcarij copiam monstrat res ipsa, ubique enim
 illud spectatur, ubi hæc aqua fluit aut ebullit.
 Præterea tota hæc vallis, ubi oppidulum no-
 strum

strum situm est, calcario hoc saxo abundat, tandem operatio ipsa argumentum evidentissimum huius rei ostendit, saxum hoc in magna copia in calida hac inesse, validè enim & potenter excitat. Hac actio in nulla reliquarum mineralium tam evidens & magna reperitur. Quapropter cum se sensui haec ostendat, nullius eriam quād calcarij saxi propria esse videtur, ersi sciam in reliquis etiam vim resiccandi inesse, tamen illa tam valida & magna in calida nostra non inest. si saxum calcarium abesset. Haec duæ igitur mineralia, nitrum scilicet & saxum calcarium in his aquis nostris prædominantur: quod etiam præcipue haec duæ operationes comprobant, abstergere nimirum & resiccatio, seu qua ex hac sequitur, consolidatio. Abstergunt enim, excitant & consolidant potenter, quod præcipue in scabiosis & ulceribus magnis, nec non in tumoribus ex pituita & flatibus magnis, nec non catarrhis quarumcunq; partium frigidis & humidis notum & manifestum est. Reliquæ actiones ex alumine, sulphure, sale, rubrica seu ferri materia, & bolo alba pendent, roborandi scilicet, colliquandi & attrahendi. Ut autem de primis qualitatib. primo loco dicamus, de temperie calida huius prius aliquid referendum est. Et quoniam haec duæ mineralia, nitrum scilicet & saxum calcarium, prædominium habent, & reliqua quarum vires non tam æquè valentes

sunt, cum his in agendo semper concurrunt; col-
 ligo hanc calidam aquam plus resucare quam
 calefacere, plus calefacere quam refrigerare.
 Resiccatio enim non solum in saxo calcario, in
 quo maxima inest, sed etiam in reliquis, ut alu-
 mine, sale, præcipue vero rubrica seu bolo al-
 ba, haenam minera etiam valide resiccat.
 Calefactio vero in nitro, sulphure, sale, & qui-
 busdam alijs, quæ ex partium tenuitate & acre-
 dine, non propria substantia & qualitatibus
 evidenter calefaciunt, inesse manifeste senti-
 tur. Refrigeratio vero in alumine, rubrica &
 chalcantho. Atque refrigerat rubrica quidem
 non quatenus pinguis est, sed quatenus terre-
 narum partium & mater ferri est. Ita resicca-
 tio triplo vincit refrigerationem, duplo vero ca-
 lefactionem: Quod etiam ex eo manifestum fit,
 quod resiccatio non solum in calefactione, sed
 etiam in refrigeratione inest, nisi ineerdum in
 refrigeratione humectatio accidat per accidens,
 attractis nimirum humoribus in carne muscu-
 losa sub cute retentis. Ita si ex his qualitati-
 bus & actionibus usum eluere velimus, omni-
 bus morbis frigidis & humidis, talibus etiam
 corporibus, præsertim humidis, qua resicca-
 tionem & calefactionem postulant, aquæ ha-
 prosunt, nec non calidis, si tepidis ijs & refri-
 geratis quis utatur. Quod ad qualitates secun-
 das attinet, aperiunt, penetrant, incident, re-
 solvunt,

solvunt, colliquant, attrahunt, corrodunt, abstergunt, astringunt & consolidant. Aperiunt & penetrant propter nitrum, incidunt cum ob hoc, tum ob sal, colliquant & resolvunt ob sulphuris vim, nitri & aluminis. Attrahunt cum ob relatas mineratas, tum etiam propter alumem & atramentum & facultatem ferri, quae in rubrica inest. Ad alterationem enim duo haec praeципue concurrunt, apertio & colliquatio primum, deinde earum partium, in quibus humores colliquati consistunt, astrictione priores due operationes à nitro, sulphure & sale dependent, posterior vero ab alumine, atramento, & rubrica ferri partice. His enim mineris subtilem nitri, sulphuris & salis quoque partes animantur, ut attenuati humores peccantes per astrictionem attrahantur. Corrodunt & abstergunt propter nitrum, alumem & atramenti qualcumque vim, sed aqua refrigerata & tepidiore existente. Astringunt ob easdem mineratas. Consolidant cum ob communem resiccationem, tum etiam ob bolum albam, rubricam, & praecipue calcem, interveniente levi astrictione, sed aqua calida, quantum quidem sensus ferre potest, non tepida & refrigerata existente. Quare antem diversas habent vires, modò calida, modò tepida existens aqua, ut nunc corrodat tepida, nunc consolidet calida, in proprio capite referetur.

Ex his

Ex his autem indicatis facultatibus & actionibus colligere licet, has thermas omnibus puitosis naturis, crassis & obesis, refrigeratis nimis & humidis corporibus conferre, omnibus morbis frigidis & humidis, frigidis vero ex siccitate, & calidis ex humiditate. Quemadmodum etiam corporibus prodesse possunt, sed non eadem ratione: magis enim humidis quam siccis conferunt, si caliditas magna cum humiditate non coniungatur, nec obsunt siccis si siccitas non valde terrea, nec ex calida causa fuerit, alias humidum magis impressionem aquae, siccum minus sustinere potest. Ut autem rem ad speciem transferam, dolori capitum a frigiditate humida orto, medentur, ad epilepsiam quoq; & apoplexiā dispositis utiles sunt. Novi enim exemplum incipientis apoplexia, qua per usum harum aquarum est curata. Sed diligens omnino respectus & cura adhiberi debet, ne patientem in maius malum coniunctionem, & fiat omnino apoplecticus, qui ad apoplexiā erat dispositus, motis nimirum in capite humoribus, aut attractis novis eo, quod facile fieri posset, si sine discrimine aquis veteremur, aut non opportum fullicidium capiti applicaremus, novi enim exempla eorum, qui propter intempestivum fullicidium facti sunt apoplectici, cum antè non essent. Prosunt etiam vertigini, catarrhis frigidis & humidis, sed omnino etiam hoc observandum est, ne

est ne sine capitis aut aliarum partium mitten-
tium purgatione patientem ad has aquas iurita-
mus, aut sine discrimine bibere aut lavare sina-
mus, alias enim fieri posset, ut colliquatis &
motis humoribus, novum malum vel in capite
vel pectore concitemus. Prosum etiam oculo-
rum atq; aurium affectionibus frigidis, etiam
russi, dyspnææ, asthamati, atq; similibus alijs af-
fectionibus, qui originem à frigidis, & crassis hu-
moribus ducunt. Sed advertendum est, ne hi
hælici aut phtisici sint, qui eiusmodi malis sunt
obnoxij, ferre enim aquas has tales non possunt,
præseruit si lavent. Si vero phtisis esset in prin-
cipio, potionem suaderem, lotionem nequa-
quam, propterea quod potio non ita impletat ut
lavatio cerebrum, nec colliqueret sine evacuatione.
Prosum refrigerato ventriculo, sive is intempe-
riem frigidam per essentiam, sive per consensum,
& contentis in eo frigidis humoribus patitur:

Intestinis frigidis, colicis doloribus, dysen-
tericis, si febris non affuerit per essentiam, lien-
ericis, atq; alijs passionibus intestinorum frigi-
dis: Hepatis affectionibus, si hi non in essentia vi-
searis, sed instrumento & meatibus constiterit,
item obstructionibus sine inflammatione, cache-
ticis, flacutosis. Item lienosis, calculosis, nephri-
ticis, præseruit rerum obstructionibus & ulce-
ribus, habita tamen ratione caliditatis rerum,
quemadmodum in obstructionibus & frigiditate
ventri-

ventriculi caliditatis hepatis. Vesicæ tumoribus
 atq; ulceribus. Uteri etiam affectibus varijs,
 si quis scopum habeat resiccandi & abstergendi,
 profundit, præcipue verò frigidis & humidis illi-
 us passionibus, cum propter hanc causam fœni-
 na concipere non potest. Mensibus albis &
 menstruorum retentioni mirificè opitulantur.
 Etiam tremulis, sed non ex siccitate resolutis,
 convulsis, si propter plenitudinem & frigidos
 & crassos humores tales facti fuerint: si verò
 ob siccitatem & inanitionem, non profundit. Ar-
 thriticis quoq; & podagricis, atq; omnib; ner-
 vorum passionibus ex materia frigida & crassa
 ortis, nisi eiusmodi affectus omnino inveterati
 sint, & nervosæ partes omnino corruptæ &
 dissolutæ, aut arthritis & podagra à causa ca-
 lida & sicca dependerint: in eo enim casu ob-
 sunt. Item tumoribus pedum, sed non ex hy-
 drope, sed crisi aliorum affectuum oborta. Item
 scabiosis, leprosis, impetiginibus, serpiginibus,
 & similibus affectibus propter penetrationem
 & incisionem insignem, nec non abstersionem
 & excisionem ingentem. Ulceribus quoque
 magnis. Sed hoc observandum est, ut si ulcera
 sint à salsis & atrabilarijs humoribus, aut etiam
 biliosis, corpus prius antequam aquis vitatur,
 bene purgetur, alias enim ulcera sunt maiora
 stimulatio & attractio illis. Videndum etiam ne
 illa ulcera ex morbo Gallico, aut adusis humo-
 ribus,

ribus, orta sint, in hoc enim casu aqua non pro-
sunt. De leprosis hoc affirmare possum, quod
quidem in exterioribus partibus carentur, sed
hoc metuo, ne epar magis ob lavationem incale-
scat, quia in re ut affectus est periculosus, ita ju-
dicio non vulgari est opus. Hoc tamen scio, ie-
cure leprosi a potu minus incalescere, magis ve-
rò a lotione. Gallica autem lue infectis in lotio-
ne obsunt, in potu vero non sunt inutiles. Lotio
enim perinde excalefacere hepar alias prater
naturā calidum, nec non ulcerata cutis consolidare
potest, cuius ratione virulentia illa Gallica re-
trocedere, & hepatis naturam vehementius af-
fligerē potest: vnde quidam aut in febres aut
maraſnum incidunt, aut cachectici aut omnino
hydropici efficiuntur, quemadmodum experien-
tia quotidiana hac ostendit. Proſunt etiam diſ-
locationibus articulorum & distortionib. Ex-
empla ehim aliqua novi, quibus tendines & li-
gamenta exicatis humiditatibus roborata fu-
re, & articulus ad suam conſtitutionem redire
incepit. Ac quemadmodum haec aqua omnibus
morbis frigidis aduersantur, eosq; frangunt &
debilitant: ita calidos affectus nequaquam pel-
lant, propter eam quam habent cum illis simili-
tudinem. Quapropter diligens & accurata ob-
ſervatio necessaria erit, ne in his erremus. Ut
autem rem breviter absolvam, PRIMVM re-
feram, quib. aut prodeſſe aut obesse aqua nostrae
poſſint.

D

S E-

S E C V N D O, quibus aut intra corporis aſſumi, aut externas illius partes lavari tantum, aut utrumq; conveniat.

T E R T I O, quodnam tempus sit commodius accedendi thermas nostras, atq; ijs vieniendi.

Q U A R T O, quomodo patientes se præparare debeant antequam eas accedant,

Q V I N T O, quæ observari ab illis convient in usu ipso.

S E X T O, quæ post usum ipsos facere oporteat, cum vel adhuc in thermis sunt, vel iam diftedunt. Atq; de his sex capitib, aliquid ordine commemorabo.

C A P . I. D E I I S , Q V I B V S A V T P R O D E S S E A V T O B E S S E thermæ nostræ queant.

ET si paulò ante de morbis, quibus calidæ nostræ prodesse, quibus etiam obesse queant, aliquid relatum sit: tamen cum eam rēna vix tetigerim, placuit mihi peculiare caput huic inscribere, & pluribus verbis eam explicare. Duo in hac tractatione consideranda sunt, corpus in quo morbus hæret aut futurus est. Sapere enim contingit, ut consideratione naturæ morbi, aquæ ad usum necessariae videantur, corporis autem vel imbecillitate, vel extenuatione, vel caliditate & siccitate impediantur. Alter-

841

rum est morbus ipse. Ac quod ad corpus attinet, considerandus est primò habuimus illius. Si enim robustus ille & musculosus fuerit, else morbum frigidum patiatur, idoneus ad barum aquarum usum censeri debet potius quam contrarius. I. Si corpus humidum fuerit. facilis enim & felicius aqua impressionem ferre poterit, quam siccum & extenuarum. III. Si bene perspirabile fuerit. Corpora enim plethorica aut obesa, in quibus aut humores copiose abundant, aut magna & multæ sunt obstructiones, ad aquas nostras, nisi prius evacuentur & obstruktiones auferantur, mittenda non sunt. IIII. Si aliquod ex principibus visceribus non fuerit ita corruptum, ut in illo virtus dissoluta sit, qua amplius officium suum non rite habeat, ut cum vel hepar non sit refrigeratum, aut cerebri destricta temperies, sed bene se secundum naturam habeat & munus suum perficiat, qua in conditione imbecillitatem illius secundum partem instrumentariam, non secundum similarem introductam, non excludimus. V. Si venæ late fuerint, si præsertim aquæ intra corpus assimi debent, assumentur enim sine modestia a patientibus, & facile quoq; secernentur. VI. Si facultas & attrahendi & expellendi robusta fuerit, ita enim aqua ad lœsa membra ciuius attrahetur, & cum tempus erit felicius expelletur, cum alias retineri possit magno cum

legrotantis malo & periculo. VII. Si bene evacuatū prius & preparatum fuerit, antequam aqua nostris vti incipiat. nihil enim est pernicioſius, quam si corpora impura aut bibant aquam, aut in ea lavent. Quae de ijs diximus, qui cum fructu & utilitate calidis nostris vti possunt, ea ferè etiam de ijs quibus nocent, commemorari poterunt, ducta ratione à contrario sensu. Vel enim morbo, aut naturæ imbecillitate extenuatis corporibus, aut viribus admodum languidis, aut natura & morbo calidis & succis corporibus, aut marasmo, aut hætico, aut phthisi afflictis, aut vehementer purgatis, aut merore & tristitia aut ira quoq; perturbatis, aut visceræ omnino corrupta, aut angustias venas, aut virtutem attractricem & expultricem infirmam habentibus, aut corporibus etiam ante non purgatis: omnibus ijs & corporibus & morbis obesse possunt. Est tamen notandum hoc quoq;, aliter in lavatione, aliter in potu affecti corpora. Sicca enim corpora, si morbis frigidis detinerentur, magis aquæ potum tolerare poterunt quam lavationem, potus enim tantam impressionem facere non potest, quantam lavatio, quia cum eo, quod habitum corporis magis resiccat, virtutum etiam debilitat, & corporis perspirationem, διατυπώ Græcis dictam, impedit. Potio autem tantam, quantam ipsa lavatio resiccationem efficere non potest, nec corporis spir-

spiramenta cohibere, nec sitim commovere.
 Sed de hoc pluribus alibi. Nunc ad alteram
 huins capitis partem accedo. Morbos non
 omnes aquæ nostræ fugare possunt, sed solum
 modo frigidos & humidos, vel etiam frigidos
 & siccos. Sed observandum est, horum mor-
 borum non esse genus unum & idem, sed plures
 differentias, secundum quas & prodesse &
 obesse aquæ nostræ possunt. Quidam enim frigidi
 morbi sunt in fieri, quidam in facto; quidam re-
 centes; quidam vetusti; quidam confirmati, qui-
 dam incipientes; quidam acuti quidam non,
 quidam ratione principum membrorum pericu-
 losi existunt, quidam minus ob rationem contrac-
 riam; quidam contumaces, quidam facile solubili-
 les; secundum quarum differentiarum rationem
 & prodesse & obesse calida nostræ possunt.
 Morbus enim, ut loquuntur, in fieri facilius
 tollitur quam morbus in facto; nondum enim
 partes similares mutatae, sed organica tantum
 leviter affecta sunt, quo tempore calidæ ha-
 talem affectionem facile, si in usu cautè proceda-
 tur, removere poterunt. Aperire enim eas mea-
 tus, & fundere & educere humores, antè est
 indicatum. Recentes quoque morbi facilius sol-
 vuntur quam inveterati, propriea, quod re-
 centes nondum eam, in qua harent, partem mu-
 tarint, aut temperiem illius corruperint, aut
 humorem peccantem illi familiarem fecerint,

D 3

vi morbi.

& morbis vetustis mos est & consuetudo
 Confirmati autem morbi, si prasertim in parti-
 bus principibus constiterint, omnino restitu-
 non possunt. Voco autem confirmatum morbum
 eum, qui eam partem corporis, in qua consi-
 stit, ad suam naturam convertit, eum ad mo-
 dum, ut pars illa non amplius suam temperiem
 & virutem obtineat, nec officium suum faciat,
 sed cum morbo (ut ita dicam) sit unum &
 idem, quo tempore medicamenta munus suum
 obire non possunt, ac propterea in hoc casu eius-
 modi corpora ab aquarum vsu removenda sunt.
 Acuti autem morbi, quia cum magno periculo
 sunt, & sit eorum non una forma & natura,
 ideo simpliciter sine disfunctione aliqua, certi
 aliquid affirmari non poterit. Quidam enim mor-
 borum acutorum laetentis humoris copia affli-
 guntur, vires autem habent robustas, his pra-
 missa ante legitima corporis evacuatione, aquae
 concedenda sunt. Cum enim vires robustae sint,
 ab his facilè solvi non poterunt, nec fusus iam
 humor & motus aliquid moliri valebit. Qui-
 dam vero morbi acuti vires habent imbecilles,
 & cum copioso humore conflictantur, hi ab
 aquis nostris omnino arcendi sunt. periculum
 enim esset, ne vires magis debilitate à fuso hu-
 more & moto opprimerentur & suffocarentur.
 Quidam vero vires habent languidas, & hu-
 moris pauca adest quantitas. Hi ita tractandi
 sunt,

funz, ut per aqua rsum virtus valde non affligatur, nec remaneat in corpore humor peccans. Qui vero morbi acuti a lesione principum membrorum pendent, hi ita tractandi sunt, ut magis ad naturam & robur illorum conservandum respiciamus, quam ut curam nostram in morbi curationem totam conferamus, quo casu interdum ab aquis abstinenter erit, & curandum princeps membrum, interdum vero illis videntur. Sed de his quoq; alio tempore. Contumaces vero morbi si princeps membrum non occuparint, aut virtutem non habuerint languidam, ad aquas admittendi sunt: habita tamen ratione eius, quod quemadmodum sensim & longo tempore in partem irrepererunt & facti sunt contumaces: ita sensim quoque per rsum aquarum lento & moderatum tollantur. Voco autem contumaces morbos, qui vel propter humores tenaces & tenaces sunt, aut nimis altè parti sunt infixi, aut in parte frigida hærent, ut difficulter mutari & solvi possint. Morbi vero qui motum habent velocem, ut nunc in principes, nunc in alias partes irruere possint, hi, nisi aut evacuatio, aut humoris in alias partes distractio, aut revulsio præmissa fuerit, aquarum rsum sine maiori periculo experiri non possunt.

CAPUT II.

D 4

D

DE IIS QVIBVS A QVAE
POTIO TANTVM, VEL
lavatio tantum , vel utrung;
conveniat.

VT reele intelligi queat, qui morbi aquæ potionem tantum posulent, duo consideranda veniunt. Natura nempe corporum, & morbus. Quod ad naturam corporum attinet, consideranda est I. illorum temperies. II. habitus. III. robur viscerum principaliorum. IIII. facultas. V. via ipsa. Quod ad temperiem attinet, aquæ potio adhibenda est ijs, quorum temperies fuerit frigida & humida, vel calida & humida, vel suca etiam, sed non ex caliditate. Calida enim & humida temperies non ita à potionē luditur, quemadmodum à lotione, nam potio non ita calefacit & resiccat vt lotio. habeo huius rei & rationem & experientiam. Rationem quidem, quia potio humectat & refrigerat per accidens. Humectat quidem, motis & colliquatis humoribus frigidis: Refrigerat attractis & excretis à natura partibus aquæ calidioribus & subtilioribus, & relicti crassioribus & frigidioribus, vt aluminis, ferri & chalcanti. Experientiam, quia multis cognovi etiam calidæ naturæ, qui sitire se nunquam, cum aquam biberent, sunt professi, imò se minus quam ante sitire affirmarunt. Sicca tempe-

temperies qua ex frigiditate dependet, facilius
 etiam potionem tolerat quam lotionem, ob sic-
 citatem, qua in lavando augetur & virtus la-
 befactatur, non enim tantam potio impressio-
 nem facere potest quantum lavatio. propterea,
 quod aqua in potu assumta non diu, quemadmo-
 dum in lotione consilit & moratur, sed facile
 secernitur: cui accedit etiam hoc, quod vis aquae
 in corpore mutetur, circa corpus autem haerens
 integra permaneat: unde minores potio, maio-
 res vero lotio impressiones facere potest. I I.
 Considerandus est habitus. Habitus enim tenuis
 & macri corporis, qui propter antea indicatas
 rationes lotione vti non potest, ad potum potius
 quam lotionem admitti debet, ob minorem virium
 resolutionem, nisi viscera interiora & primaria
 nimis essent debilitata, unde magna colliquatio
 & virtutis destruictio metuenda sit, in eo enim
 casu a potionе abstinendum. Habitus vero ra-
 rus cui caliditas adiuncta est, nisi alia assint que
 suadeant, potionem non aqua fert ut densus.
 Cominoventur enim in illo habitu multisudores,
 & incalescit corpus, quod omnino dum aqua
 bibitur ut repulsioni contraria & molesta, vi-
 tari debet, non enim sudare bibentes debent.
 Densus vero non ita ad sudandum paratus est,
 I I I. Robur viscerum principalium hic etiam
 spectandum venit. Si enim sive cerebrum seu
 bepar robur adhuc habeat, & ab humoribus

multis & copiosis non adē obrutatur, posid
in hoc casu non exit inconveniens. Si verò cere-
brum, pricipue verò hepar, & secundum suam
temperiem & essentiam, virtutem & robur su-
um, praesente etiam multorum humorum copia,
penè aniserit, potio caveri debet. humores enim
illi nimis funderentur & moverentur, & virtus
iam admodum & extreme languida, nec illos
nec aquam regere amplius posset. unde virtutia
extinctio & suffocatio. Quod si contingat ve-
ntriculi frigiditas & languor potionem postu-
let, hepar verò & renes sint valde calidi, in hoc
casu viscera illa calida ante potionem & intrin-
secus & extrinsecus munienda sunt, ne aqua il-
lis obfit. IIII. Facultas est consideranda.
Si enim facultas & attractrix & expultrix va-
lidæ fuerint, tolerari potio potest: si verò non
fuerint, minus. Fieri enim alias posset, ut aquæ
vel quia non attraherentur vel non expelleren-
tur, retinerentur, magno cum patientis incom-
modo, & interdum ciuiam periculo. Quemad-
modum multos vidi, qui propter hanc & aliam
causam ex retentione aquæ male habere cœpe-
runt. V. Via consideranda. Via sive sint mea-
tuum, viscerum seu caritatum venarum. si laxæ
sunt (quod ex corporis raritate & venarum
amplitudine & latitudine deprehendi potest)
& magnæ, aquæ potionem admittunt. Cuius
enim illa & melius ad loca convenientia pene-
trare,

trare, & rursus cum tempus est, inde redire & egredi potest, sine etiam obstruktionis metu aut inflationis periculo. Hæc de natura corporum relata sint satis.

Quod vero ad morbum attinet, sex hæc capita consideranda sunt. I. Subiectum ipsum, in quo morbi natura hæret. II. Humoris qui morbum facit qualitas. III. Quantitas. IV. Motus illius. V. Locus, utrum in primis venis humor, aut alio in loco consistat. VI. Tempus. Quod ad subiectum attinet, si illud, ut supra est indicatum, non fuerit calidum & siccum, aut ex siccitate & caliditate extenuatum, nec à morbo ita confectum & debilitatum, ut aquæ impressionem vel non tolerare vel non expellere possit, sed supra proprias conditiones habuerit, rectè patienti aquæ potio tribui potest. VII. Quod ad humoris qualitatem attinet, si ille non fuerit calidus & siccus, sed frigidus & humidus, vel etiam frigidus & siccus, si etiam incisus & attenuatus fuerit, potio non est pratermittenda. Nullo enim modo assumenda est intra corpus aqua, si humor viscosus & contumax non ante fuerit præparatus, alias enim inflationes fiant & magna molestia in corpore, nec aqua bene secernitur. Non sit etiam, ut paulo ante ostensum est, calidus & siccus. Cum enim haæque valde calefiant & siccant, siccis & calidis humoribus adhibenda non

non erunt, sed contrarijs. Possent enim vel febres vel alias partium principum inflammations excitare. Frigidis vero utiles sunt, densitatem enim & crassitudinem illorum dissolvere, viscositatem abstergere, & humiditatem naturam gravantem consumere possunt. IIII. Humoris quantitas spectanda est, Si enim humor, qui corrigi aut educari debet, fuerit exiguis, recte assumitur aqua, Sin autem illius fuerit magna copia, ut plerique contingit in obesis & alijs corporibus, quae facile putitosos humores generant & colligunt, iisdemque non purgatis nullo modo aqua propinari, nisi preparatio in quibusdam præcesserit, debet. Potes enim humor ille tam copiosus, colliquatus & fluidus factus, aut & corrutus, aut refrigerationem partis alicuius principis, aut etiam suffocationem afferre. Novi enim exemplum in fæmina nobili, quæ cum plethora ex fætore esset, & sine præparatione & purgatione his aquis nostris veteretur, incidit in magnam & corrutam, & flatibus ex humoribus illis copiosis resolutis, in dislentiones & punctiones & tormenta non vulgaria. Evacuatæ autem alvo, & materia viscosa in magna copia educta, rediit ad priorem corporis constitutionem.

III. Ad motum quod attinet humoris, si ille mobilis fuerit & turgeat, potio optimè conferet, lavatio nequaquam, que potius hoc atque illuc humorum in corpore agitabit, quam ut illum

illum evacuare, ut potio solet, possit. Advertendum tamen est, si humor nimis mobilis circa viscus aliquod præcipuum, ut exempli causa; cerebrum confliterit, ut in deliberatione de aqua assumenda, cauti simus, ne erremus & patientem in periculum deducamus. Est etiam hoc non pretermittendum, ne cum humor mobilis sit ratione partium extrema imbecillitate & intemperie, sine discriminè potionem patienti suadeamus. Novi enim huius rei exempla, ubi in hoc casu potio non bene succedit. Præterea hoc notandum est, ne cum humor viscidus, tenax & immobilis sit, aquam propinemus, sed prius ipsum aut digeramus aut evacuemus, alias enim tormina & inflationes, atque alia gravia symptomata excitantur, nec aquæ excretiones memorabiles contingunt. V. Locus considerandus est. Si enim humor in cerebro, aut ventriculo, aut intestinis, aut jecinore aut liene, matrice, renibus, vesica, & similibus alijs interioribus partibus baserit, potio commoda erit, lavatio non perinde, attenuat enim & abstergit & attrahit & evacuat humorem potio, lavatio vero revellit eum & colliquat intempestivè, præcipue autem potio prodest ijs partibus, quas aqua substantialiter permeat, ut ventriculo, intestinis, hepatis, renibus, vesica, atque alijs. Reliquis vero, ad quas vapor aquæ pervenit, etiam utilis est, propter insignem illius penetrationem,

sed illa post à lavatione adiuvantur. Non autem
 aqua solummodo humores corrigit & educit ex
 ijs visceribus, sed etiam ea calefacit & roborat.
 Testis est ratio, quæ à natura minerarum sumi-
 tur, & experientia. VI. Tempus quoq; ob-
 servandum in potionē est, & quidem generale
 & particulare. Generale potionis tempus est,
 cum humores moveri incipiunt, & natura rō-
 busla est, illud vernum tempus est. Alio veò
 tempore, vt hyemali, ubi humores contumaces
 sunt, & non facile moventur, non consert.
 Quemadmodum non consert si ijdem nimis cali-
 di & siccii, etiam nimis mobiles fuerint, vel
 etiam natura & virtus fuerit languida, vt ca-
 nicalæ ortus tempore contingit. Autunmale ve-
 rō tempus, quia virtutem revocat, & humores
 refrigerat, nec non aërem calidum temperat,
 utile censetur ad potionem. Particularis autem
 temporis consideratione venit spectanda conco-
 ctio. nisi enim cibis vesperi assumptis bene co-
 ctus fuerit, manè bibi aqua commode non po-
 test, cruditates enim relicta per potum ad hepar
 & renes raperentur. Ideoq; assumendus est ve-
 speri cibus paucus & digestionis facilis, curan-
 damq; vt somnus bonus fiat & continuetur.
 Est enī hoc notandum, ne aquam bibamus
 priusquam alvi deictio facta sit, proper præce-
 dentem causam. Atque tantum de his, quibus
 potio aquæ conveniat, quibus etiam obfit, sit
 comme-

commemoratum. Contingit autem saepe, ut in
quibus potio prodest, post etiam, absoluta illa.
lavatio non ob sit.

Quod ad lavationem attinet, I. lavare de-
bent hi, quibus metus est de colligatione ma-
gna, que ex partium magna imbecillitate de-
pendet, & à potu concidatur. In eo casu lo-
tione brevi & non vehementer calida patientes
vti debent, ne imbecillitas oriatur & lipothy-
mia. II. Considerandus est habitus. Si enim
musculosus & robustus fuerit, nec non venae
ampliores habuerit, bene lavatio conveniet. Si
vero extenuatus, vel siccus & calidus extite-
rit, nequaquam illa conferet, solvuntur enita
vires. III. lavatione vtendum, cum mor-
bus in habitu musculoso, aut in alijs partibus
nervosis & articulis fuerit: facilius enim &
commodius ab illa morbo discutietur & solve-
tur, quam à potionē, nisi in eo casu quis mem-
bra mandantia evacuare & corroborare velit.
III. Ut melius tertium hoc caput explicetur,
prodest lavatio partibus exterioribus refrigeran-
tis, resolutis, convulsis, sed non ex inanitione &
siccitate, aut morbo Gallico ita affectis. In eo
enim affectu magis illa obest propter ingentem
resiccationem, quam partibus illis inferret: ex
frigiditate autem & humiditate hys affectibus
ortis prodest. V. Si iunctura & articuli dolo-
ribus ex materia frigida & humida infestentur,
lavatio

lavatio adhibenda (evacuatis tamen prius eva-
cuandis) omnino erit. dissolvetur enim crassus
& frigidus humor, & partes nervosa & arti-
culi roburabuntur. Advertendum tamen est, ne
eiusmodi dolores à materia biliosa & sicca, aut
à morbo Gallico ortum trahant, aut articuli &
nervosa partes à diurna fluxione omnino cor-
rupti & destructi sint: In eo enim casu lotio
obest, novi enim quorundam exempla. V I. Si
corpora obesa aut cachectica, aut tumoribus
flatuosis affecta fuerint, potius lavatio conferet
quam potio, extenuat enim & discutit, & ha-
bitum resiccat. Omnino autem in lavatione vi-
dendum est, ut de virtute constet, & prius in-
teriora viscera à noxia materia purgantur &
liberentur, ne affluxus fiat. Quæ igitur de po-
tione & lavatione commemorata sunt, ea quia
non ita intelligat, ut vniuersis his, quibus potio
conferat, non etiam lotio prospicit, & econtra.
Sed quod quidam sint, quibus lavatio non con-
ferat, nisi potionem præmittant, & sint quidam
morbi & partes corporis, quæ magis potionem,
sint & aliae quoq; quæ lotionem potius deside-
rent. sint etiam aliij quidam, quorum causa hæc
distinctio instituta est, quib. potio tantum com-
petat, sint etiam aliij quibus lavatio tantum.
Lavationem (quod superius etiam inculcatum
est) vitare debent febricitantes, morbo Gallico
laborantes, calidi & siccii corpore & humori-
bus

bus, phtisici, heftici, extenuati & resiccati ex caliditate, & similes alij, qui ob viscerum nimiam debilitatem aut caliditatem agrotant, etiam ea mulieres quibus menstrua oborintur, quemadmodum & potionem, lavationem quoq; vitare debent. Omnino autem curandum, ne hi, qui aut in syncopen aut lipothymiam, aut catarrhum suffocantem, aut in apoplexiā & epilepsiam incidere parati sunt, vel etiam quibus caput facile impletur, aut qui affectibus animi laborant, & mœrore & tristitia conficiuntur, aut ira nimis indulgent, sine respectu & discrimine lavatione vtantur, movet enim & fundit vehementer humores aqua nostra. Conferet autem & potio & lavatio ijs, quibus malum ab interioribus partibus ortum ad exteriores deducitur easq; infestat, hac tamen lege, ut primis certis diebus ijsq; continuis, aquam intrâ corpus assumans, post absoluto potu etiam lavent, ut melius ablato affluxu malum in extrinsecus partibus hærens dissolvatur & discutiatur. Pessimè autem faciunt hi, qui confusè & sine ordine nunc bibunt nunc lavant, sive hoc fiat eodem die, sive alternis diebus. Contrarijs enim motibus natura affligitur, & revulsiones sunt periculose. Sed de hoc in proprio capite, nunc ad tertium caput accedendum est.

CAPUT III.

E

Qvō

Q V O T E M P O R E A C
C E D E N D V M S I T A D
thermas nostras.

QVIBVS igitur potio magis vel ea sola,
quibus etiam lotio potius eaq; sola con-
veniat, iam indicatum esse existimo. Nunc de
tempore anni, quo & bibere & lavare utile
sit, agendum est. Et quoniam hoc cum ijs, quib;
facilem humorum fusionem & eductionem;
corporis etiam humiditatem & robur requi-
runt, consentire videtur, particulariter magis
hanc considerationem instituemus, ut intelliga-
tur quale illud tempus esse beat, quod tam ad
potitionem quam lavationem aptum esse possit.
Ad potionem igitur seu lavationem necessaria
primò est bona aëris externi temperies. I I.
Aperio meatuum & laxatio. I I I. Corporis
humectatio. I I I I. Humorum fusio & at-
tenuatio. V. Virtutis naturale robur. Quod
ad aëris commoderatam temperiem attinet, sci-
endum est, hyemale tempus, quod frigidum est,
omnino ineptum esse ad harum aquarum r̄sum,
cūm quia hoc tempore humores fixi partibus,
& natura sua tenaces sint; vnde evacuationes
et purgati, tum etiam, quia aëris externa frigi-
ditate humores aqua attenuati iterum inspissa-
rentur, aut moti ad interiora viscera compelle-
rentur, vnde angustiae, febres, & alia incom-
moda,

moda, tum etiam quod corpus pōris suis aper-
tum läderetur. Tempus autem illud quod leo &
canicula definiunt, quia plerunq; est astuosissi-
mum, ideo non idoneum ad usum censetur, cū in
quia corpora debilitat & ressecat & calefacit,
tum etiam quia calidos & siccos humores gē-
nerat, unde febres & similes alij affectus obo-
riuntur: Novi enim exempla huic. Anno enim
superiori, qui fuit 69. in agro Patavino pluri-
mos aquis Aponensibus & vicinoluto S. Petri
vjos, ob ingentem astum in febres incidere vidi,
unde excellentissimi viri medici Patavini, ex
quorum numero erant D. Aloysius Bellocatus
& Hieronymus de Capitibus vacce, omnia sua
consilia de usu aquarum calid. Pat. suscepit
coactifuerē differrē propter inopinum astum il-
lum. Temperies igitur media aëris eligenda est,
qua nec propter frigus balitus excrementiū
egressum rimantes inhibeat, aut eos repellat,
vel propter caliditatem, calidos humores gene-
ret, & virtutem debilitet, qualis est vernalis
& autunmalis. I I. necessaria est partium seu
meatum apertio & laxatio. Ha contingunt,
cum aér post hysmēm ab accessu Solis calescit,
& humores moventur & funduntur, quod non
solum in animantibus, sed plantis & ipsa terra
contingit, cum omnes res nascentes commoven-
tur, & ad exoneranda sua excrementsa insur-
gunt. Aperiuntur autem pori, vel quia calor

hoc facit, vel quia ob humorum copiam & motum naturalem hoc contingit. Est autem vernum tempus quo hoc sit, atq; ideo illud ad usum thermarum est commodum, quo omnium rerum purgatio fieri solet. III. Accedendum est ad thermas cum corpus humectatur. Humectatur autem verno tempore & naturaliter & accidentaliter. Naturaliter quidem tum, quia sanguis & aliae materiae humidae moventur & augentur, tum quia hoc tempus natura sua humectat: accidentaliter vero quod humores excrementis concitentur & collquentur. Humiditas autem corporis partim ad meliorem aquae assumendae evacuationem, partim ad impressionem illius sustinendam prodest. IIII. Veniendum ad thermas has, cum in corpore humores funduntur & attenuantur, eo enim tempore, quo renaces & viscidii sunt, & difficulter moventur, aquae ritandas sunt, ob superius etiam commemorata, quae evenire possent, symptomata. Sed videndum, ne propter nimiam fusionem & attenuationem iam humoris incipiunt nimis calefieri & resiccati, eo enim tempore non est ad thermas accedendum. Relinquitur igitur tempus vernum, quo nec nimis viscidii aut surinari, nec nimis calidi & siccii sunt humoris, sed medium servent fusi & attenuati. V. Est ad thermas veniendum eo tempore, quo virtus robusta est. Est autem eo tempore

gore robusta, quo resecta est à labore, quod
 contingit post hyemem, cum ver imminet. nam
 hyemali tempore non solum virtus plantarum,
 sed etiam animantium atq; hominis ipsius resi-
 citur & corroboratur quiescendo & alimen-
 tum assumendo. Est etiam robusta virtus tum,
 cum generalis rerum purgatio imminet, oport-
 et enim eam validam & firmam eo tempore
 esse. Est autem vernum tempus, quo omnia
 φυτά, ζωόφυτα & ζώα purgantur, quapropter
 illud tempus ad usum aquarum erit apissimum.
 Probatum igitur esse reor his quinq; capitibus,
 ver omnium tam ad potionem quam lavationem
 esse convenientissimum & saluberrimum, &
 minus nocivum: cum quo & coniungi potest
 principium astatis. Hoc incipit, cum arbores
 gemmas protrudere & florere incipiunt, &
 succus redit omnibus herbis, quod plerunque
 mense Aprili oritur, & cum principio astatis
 coniunctum durat usq; ad caniculæ orium. Re-
 liqua duo, hyemale, & pars quadam astatis,
 quæ leonis & canicula oriu & spacio definitur,
 in usum aquarum non sunt recipienda. Plerunque
 enim vel astus magni vel frigora excitantur,
 quæ utraq; thermis, utentibus non sunt commo-
 da. Autumnale vero tempus, quia neque caloris
 neq; frigoris excessum habet, ab usu non est ex-
 cludendum. Hoc tamen observandum est, ne ij
 quis aqua utuntur, lavandinis longè moren-

ur. in balneo hoc tempore, periculum enim esse posset, ne in febres aut lipothymiam aut convulsionem, aut debilitatem virium incident. Cum enim hoc tempus sit siccum, & praecesserit quoq; tempus siccum, quo virtus alias languida facia est, facile accidere posset, ut eiusmodi symptomata concitarentur, eaq; eò magis, quod corpus alias calidum, & siccum vel extenuatum morbo vel natura fuerit. Potio verò minus ladere quam lavato potest, ob supra indicatam rationem. Atq; hoc omnino in lavatione spectari debet, alias verò hoc tempus ad usum perinde ut vernum est admittendum, aer enim neq; nimis calidus est neq; nimis frigidus hoc tempore, neq; metuenda est humorum crassities & viscositas, neq; cutis densatio, & similia, qua tam potaturis quam loturis alias obstant. Incipit hoc tempus post occasum canicula, & durat usque ad hyemis principium. Contingit autem sape, ut circa canicula ortum apud nos temperatus aer sit, & propter altissimos montes, quibus thermæ quasi concluduntur, non perinde magnus aestus, ut patientes quoq;, qui vel non adeo sunt obesi aut calidi corporis, hoc etiam tempore ad aquas nostras accedere possint, nisi peculiarē influentiam astri metuere velint, alias nihil esse posset quod obstatet. Atq; tantum de hoc capite, quo probatum esse reor, vernalē tempus cum principio astatis coniunctum, quodq; scilicet

vjsq;

usque ad imminentem canicula ortum extendit:
præterea autumnale tempus, quod hyemis prin-
cipium attingit ad usum thermarum esse con-
veniens & aptum.

CAPUT IIII.

QVOMODO PATIEN-
TES PRAEPARARE SE
debeant antequam thermis no-
stris utantur.

DE temporibus, quibus patientes ad aquas
nostras venire debeant, commemoratur,
ut reor, est satis. Nunc de præparatione,
qua etiam præcedere debet, aliquid est referen-
dum. Consistit autem præparatio in his duobus,
I. In corporis cura. I.I. in exterioribus, que
illi serviant. Quod ad corporis curam attinet,
ea rursus dupliciter considerari debet: aut enim
medicationem, aut rerum sex non naturalium
rectum usum respicit. Medicatio rursus consi-
stit in his tribus. I. in corporis affectione.
II. in humoris, qui per aquam educi debet, cu-
ratione. III. In corroboratione viscerum lan-
guidorum. Quod ad corporis affectionem atti-
net, si in primis venis, ventre, & vicinis visce-
ribus, aut cruditas, aut superfluitas aliqua, aut
obstructio contenta fuerit, cruditas concoquen-
da, superfluitas evacuanda, & obstructio aufe-

renda est, ne materia præter naturam ibi contenta, ab aqua in venas & ad principalia membra rapiatur & detrudatur, idq; faciendum non vehementibus medicamentis, ne virtus debilitetur, & ad aquæ vsum tolerandum impotens fiat, curandumq; omnino, ut corpus purum atque à materia excrementitia evacuatum, si præsertim humidum, catarrhosum nimis, aut obesum & crassum illud fuerit, ad thermarum vsum accedat. Novi enim exempla quorundam, quibus cum nondum purgati hæc aquis vterentur, præsertim cum lavarent, tormenta, punctiones, inflationes, vertigines, & similes alij affectus commoverentur. Lavatio enim in hoc casu plus obest quam potio, propriæ meatuum angustiam & difficilem diætrœvum, & humores tenaces & multos. Ac quemadmodum hausturia aquam purgatio præcedens prodest, ita nullo modo ab ijs, qui lavare volunt, prætermitti debet. Symptomata enim gravissima excitarentur, si illa intermitteretur. II. Quod ad humoris qui educi debet naturam attinet, si crassus & viscosus fuerit, incidi debet ut aqua vis eð reætius & felicius vincere ipsum & educere queat, atq; id faciendum eo magis, quod crassior & viscosior fuerit, interdum etiam incidentibus aperientia & mediocriter attrahentia ad misericordia erunt, si ille vel in profundioribus partium meatibus hæserit, aut nervosis consliterit. Multus vero

us. verò minuendus erit, ne aqua magis illum
fundens, periculum aliquod partibus principa-
lioribus afferat. Si verò humor mobilitate
sua inclinet ad princeps membrum, ab eo leniter
avocandus, & ad loca convenientia & excre-
tioni destinata, deducendus erit. Atq; hæ condi-
tiones in potu præcipue observandæ sunt, etsi in
lotione quoque non sint inutiles. I I I. Quod
ad viscerum corroborationem attinet, si debile
aliquid vel cor aut ventriculus, præcipue verò
cerebrum fuerit, ea ante rsum, præsertim ante
lavationem munienda & roboranda sunt, ne la-
borent. In primis verò cerebrum, quod velut
catinus est foco impositus, ne multi vapores,
quos aqua nostra in omnibus corporis partibus
commovet, in eo colligantur, vnde catarrhi pe-
riculosi accidere possent. Quod si contrariae in-
terdum in corporibus indicationes eveniant, vt
ventriculus frigidus sit, hepar verò & renes
calidi, in eo casu, quod aqua ventriculo conserre
possint, renibus verò & hepati nocere, hepar
& renes vngantur cerato rosaceo, aut sanda-
lino, aut vnguento comitisse, ne incalescant
fortè, aut in inflammationem, præsertim si pa-
tientes lavent, incident. Hæc in medicatione no-
tanda sunt. Quod ad rsum sex rerum non na-
turalium attinet, patiens hoc tempore in calido
aere, & hypocautis mediocriter calidis morari
debet, vt melius humor in corpore peccans fun-

q[ui] meatus aperiri possint. Cibus & potus ex incidentibus & mediocriter calefacientibus, item humectantibus, & aperientibus, quaeque sunt facilis concoctionis & digestionis conflare debet, ut & aqua melius ducere humorum, & corpus impressionem reclivis ferre, & cruditas nulla generari possit. Vitanda autem omnino est repletio, ne aqua virtus atq[ue] illius alio obtundatur & impediatur, & natura corporis patientis oneretur, quo minus perferre vim aquae possit. Vigiliae omnino caveri debent, haec enim & vires labefaciant, & cruditates in corpore generant. Somnus igitur mediocris patientibus conciliandus, immodicus omnino vitandus, ne materia catarrhorum, quae h[ab]et aqua propter colliquationem, quam efficit, facile concitat, generetur. Afflictus animi, prasertim ira, tristitia, odium, m[al]or, in primis autem m[al]or, quo nihil in usu harum aquarum est perniciosius, vindicta sunt. Cavendi etiam alij his similes affectus, qui humoris & vapores commoturi, & ad loca non convenientia, quam quo motus aquae ferretur, deducturi essent. Quapropter elaborandum est, ut mens quieta & lata sit, nam in perturbationibus animi aut pervertitur spiritus, aut debilitatur, unde symptomata periculosa evenirent. Motus fugiendus non est nisi immodicus, qui aut lassitudinem, aut siccitatem, aut nimium sudorem afferat. Fugiendus etiam est is,

qui

qui replete & vitiōsis humoribus impuro cor-
pori contingit. Mediocris vero motus conten-
nendus non est, nam & calefacit materiam eva-
cuandam, & calefactam fundit, praterea deie-
ciones & excretiones, si prasertim matutino
tempore aut aliquor horis ante prandium fiat,
promovet. In primis aurem curandum, ut seces-
sus alvi quotidiē fiant & faciles sint, ad quam
rem comparandam, cibus non est assumendus
siccus & difficilis concoctionis, nec talis, qui
viscosos & crassos humores generet, alias prima
venae pravū humoribus implerentur, & in reli-
quas venas post, hepate prasertim calido, rape-
rentur, & symptomata fierent gravia, qua in
lavatione multo maiora contingerent. Lotio
enim constipatis & impuris corporibus est ad-
versissima, potio non item. Atq; haec tenus de
priore parte. Nunc ad posteriorem de exterio-
ribus, quae corpori patientis servire debent, ve-
niamus. Curandum est, ut conclavia balneis
sunt vicina, & tepido aere preparata, ne pati-
ens lotus & iam egrediens, a frigidore aere la-
datur. Videndum etiam ne locus, ubi agri mo-
rantur, sit paludosus aut fumosus, aut aer con-
clusus, ut alterari non possit, alias enim cere-
brum impletetur, & rheumata concitarentur.
Elegant igitur patientes loca commoda & non
male affecta. Sunt enim quadam loca, quae ma-
gis ad quæsum, quam hominum virilitatem &
commo-

commoditatem sunt constructa, qua in re, ve
 popularibus meis consultum volo, ita eos ad-
 monitos esse cupio, vt non tam mercaturæ pro-
 priarum vilitatum, quæm commode & saluti
 eorum, quos hospitio excipiunt, inserviant, &
 secundum justicia normam in elocando ab ad-
 venis exigant id, quod æquum est: Multæ enim
 multorum audiuntur querela, quibus ostenditur,
 nimis interdum advenas gravari ab hospitibus,
 dum singulis septimanis nescio quam pecunia
 summam pro hospitio pendere coguntur. Debet
 autem vt & modestiores & aquiores sint in
 elocando hospites, & serio cogitent, has nostras
 thermas admirandum Dei donum esse, & pre-
 cito iustæ contenti, gratias æterno Deo pro illius
 possessione & vsu agant. Sed præter proposi-
 tum in huius rei mentionem incidi. Ac vt ad
 conclavia redeam, ea tepida esse oportet, & si
 opus est pro habitu, temperie & morbo pati-
 entis calida quoque, vt poris apertis exhalare
 vapores possint. Calidiora autem conclavia la-
 vantium esse oportet, minus calida bibentium.
 Lavantium enim intentio est, vt materia in ex-
 terioribus membris hærentes resolvantur &
 discutiantur, quapropter vt hoc rectius fiat,
 calidioribus opus est hypocaustis. minus au-
 tem calidis hypocaustis vii debent bibentes, ne
 corpus calefaciat & sudor provocetur. Lectulos
 etiam in promtu habere debet æger, vt post la-
 vatio-

uationem quiescere aut sudare possit. Hac de
quarto commemorata sunt satis.

C A P . V .

Q V A E O B S E R V A R I
A P A T I E N T I B V S
conveniat in viu ipso.

QUOD igitur patientes se præparare debeant, antequam thermis nostris
vantur, iam ostensum est. Nunc vero de modo,
quomodo uti debeant, aliquid referendum
est. Antequam autem advenæ vel bibere aquam
vel in ea lavare incipient, uno aut duobus die-
bus post iter confectum requiescere, & humo-
rum commotorum quietem, & virtutis recrea-
tionem expectare, eoq; magis hi qui pedestres
huc reniunt, nec statim post salutatum hospi-
tem balneum ingredi debent, vt multi facere
consueverunt. Sequi autem eos oportet hanc no-
stram instructionem, non dependere ab opinione
vulgi aut hospitum, qui neq; mineræ gnari sunt,
neque quomodo, aut quando, aut qua in quan-
titate bibere aquam, & quomodo lavare pati-
entes debeant, adhibita ratione & respectu aetati-
ris, sexus, temporis, virtutis & morbi, cogniti-
tum habent: alias enim ægri errabunt, nec rectè
valetudini sua consulent. Ac licet illi sese, quod
semper ad has thermas cōmorati sunt iactent,
tamen

tamen hoc, quod ipsi putant, non sequitur. Nos enim ipsorum regula ad omnes morborum differentias & corporum circumstantias, veluti sutoris instrumentum ad omnes calceos accommodari potest. Non ego eos sperno, sed quod ex re & valetudine patientium futurum est, indico, & taxo ipsorum φαινόμενα τούτων γάρ οπολυπεγμοσύνων. Nec propterea male habebit meos populares hæc correclio, cum tantum illis tribuum, & tantisper eos instruam, quomodo & quando patientibus consilia sua communicare non debeant. Nec hic sunt consilia quorundam medicorum, eorum dico, qui naturam aquarum nostrarum non habent persicetam, audienda, ne agroti male thermis nostris viantur. Nescio enim cuius consilio sit introductum & usurpatum consuetudine, ut eodem die & bibant & lavent, mane quidem bibant, post meridiem verò lavent agroti. Ac licet hanc suam opinionem, ed quod aqua manè assumta evacuetur, tamen in paucissimis hoc contingit, ac ferè in nullo, in plurimis verò, imo in omnibus, aliquid aquæ in habitu corporis remanet, est enim diuretica, & ad venas transit, unde tam parvo tempore evacuari ita non potest, ut corpus ad lavationem eodem die sit idoneum. Præterea contrarijs motibus & revolutionibus natura faugaretur & affligeretur. Quæ enim materia à superficie ad centrum per potum retractæ essent,

essent, eae iterum à centro ad superficiem per lavationem motu planè contrario evocarentur & raperentur. Praterea usitatum est in nostris thermis, ut uno die bibant aquam, altero la-vent. Hæc consuetudo eis tolerabilius priore esset, tamen quia & in illa contraria motus fierent, & natura ab actione sua avocaretur & turbaretur, nec uno die eum ad modum materia lo-tione prepararetur & funderetur, ut potionē altero die educi posset, merito etiam rei cienda est. Absurda plane est consuetudo eorum ho-minum, quæ forsitan non medicorum consilio, sed opinione imperitorum idiotarum esse cœpit, qui etiam dum lavant bibunt, & dum ituri sunt cu-bitum portionem bonam aquæ assument: Hæc consuetudo pessima est, & à nullo in posterum observanda & sequenda. Atque hi sunt modi bi-bendi aquam, non idonei pro agrotanib[us] propter iam relatas causas. Modus autem, quem universi sequi debent, quicq[ue] est desumus ex natura rei, hic est, Ut ægri quinque vel sex, vel septem, vel pluribus vel paucioribus diebus, pro conditione morbi, habitus, temperiei, se-xus, virtutis, &c. continuè bibant, nec post prandium lavent, sed relinquant & aquæ & naturæ & humori suum motum, ita corpus re-ete sine naturæ afflictione & humorum contra-ria agitatione, evacuabitur, & ad lavationem idoneum efficietur. Idem etiam observandum est, si

est, si sola quis potionē vii velit sine lavationē, ut continuis, non interieclis diebus, hoc fiat. Novi enim quosdam qui suadent, ut uno die bibatur aqua, altero intermittatur illius potio, & sic deinceps progrediendo. Hæc consuetudo etiam non est laudabilis, nisi quis hanc sequi ob virtutis debilitatem aut alicuius symptomatis commotionem, cogatur. Ut autem res rectè intellige queat, proponam quadam præcepta, secundum quæ totum bibendi tempus patientes regere debent. Alia enim sunt bibentium, alia lavantium præcepta. Bibentes igitur observare debent, I. substantiam aquæ seu qualitatem, II. tempus bibendi. III. quantitatem. IIII. modum bibendi. V. Diætam. Quod ad aquæ substantiam attinet omnino curandum est, ne aqua haurietur tepida, id quod plerūq; contingit, si procul à fonte scaturiginis excipiatur, longius enim fluendo mulum amittit virium exhalantibus partibus subtilioribus, & remanentibus crassioribus & adstringentibus. Ideoq; ad ipsam scaturiginem excipienda est aqua, non quidem stanneo aut de plumbo candido confecto vase, sed testaceo vel lapideo, ne aqua plumbi candidi natura inficiatur. Estq; vas diligenter tegendum, ne multum exhalet vaporum, ita enim earum mineralarum vires, quæ aperiunt, penetrant, colliquant, & abstergunt, retinebuntur & permanebunt. Præterea caveatur, ne vel frigida

frigida vel tepidior assumatur, non enim tam validè operari, nec intra venas recipi poterit, sed calida, atque in tanto quidem calore, quantum sensus ferre poterit. Hoc tamen observato, ne calor tantus sit, qui corpus ita calefaciat, ut sudor provocetur, quod plerunq; ijs contingit, qui rariois sunt habitus, calidioris constitutio-
nis, & amplias venas habent. Hi igitur cum consideratione & respectu, præsertim quod aquæ calorem spæctat, bibere debent. I. Quod ad secundum attinet, tempus nimirum, quo bibere debent patientes, sciendum est eos ineptè atq; omnino contrà rationem (vt antè quoque est indicatum) facere, qui post cenam, cum ituri sunt cubitum, bibunt aquam, non solum concoctionem turbantes, sed cerebrum replentes, & crudum chylum ad hepar deducentes, vnde symptomata non levia, præsertim in pituitosis & calidis oriuntur. Malè etiam hi faciunt, qui in prandio assumunt aquam, quemadmodum hi, qui hoc faciunt cum lavant. Optimum autem tempus bibendi est, tempus matutinum, cum absoluta est concoctio & ventriculus est vacuus, nec virtus in alijs digerendis est occupata. Primum autem omium curandum est, vt alvus à crassioribus fecibus, priusquam ager assumat aquam, evacuetur, alias enim materia pituitosa, quæ circa illas colligitur, ad hepar & venas ab aqua raperetur. Laborandum

etiam in hoc præcipue, ut nulla eruditas vel ob
pratum alimentum, vel somnum interceptum,
vel ventriculi debilitatem contracta, in ventri-
culo & intestinis remaneat, nam multis modis
obest hæc potionis. Nullus etiam assit rugitus
aut murmur vèntris, hoc enim indicium est cru-
dae alicuius & pituitosæ materiæ, in eo hærentis.
Hæc igitur ut caueri possint, assumendus est ci-
bus & potus boni succi & facilis digestionis,
nec multis, sicut cœna brevis & lata, ut manè
patiens idoneus sit ad potum, excessus vero
cum cibi tum potius obstat illi, nec patienti est
commodus. 111. Quod ad quantitatem atti-
uet, sciendum est, certum numerum mensuræ
aqua & vrceorum, ad quem quilibet patiens
velut ad amissim potionem suam accommodare
posset, ob morbi, habitus, virtutis, sexus, atra-
tis, temporis, etiam anni differentias, præscribi
non posse. Sunt enim quidam, qui cum ascen-
dendo ad summam mensuram pervenissent, sex
& plures nostrorum cantharorum una vice hau-
serunt, tantamq; aquæ quantitatcm ferre potue-
runt. Fuerunt & quidem alij, qui vix dimidi-
um canthari nostratis assumere potuerunt. Fue-
runt item alij, quibus aqua vel ob siccitatem
& densitatem corporis vel ob copiam viscido-
rum humorum in ventriculo & intestinis con-
tentorum, vel ob virtutis excreticis imbecilli-
tatem, in parva quantitate assumta non excreta
sit,

fit, sed solummodo in magna. Reperti etiam sunt
ulij, quos aqua hæc in minima admodum quan-
titate exhibita evacuavit. Praescribi igitur men-
sura certa & numerus vrceorum ob indicatas
causas non potest. Sed à Medici iudicio, cui via
aquarum, & morbi natura perspecta esse debet,
pendet. Quo in casu moneo extraneos medicos,
ne cuivis sine discrimine & respectu rsum aqua-
rum harum suadeant, ne res postea male cadat,
sicut novi exempla. Sunt enim aquæ nostræ in
actione potentæ & valide, que vt vilitatem
patientibus, si rectè accommodentur, præstare
possunt magnam, ita si male vel in potu vel lo-
tione adhibeantur, obesse possunt valde. Singu-
laris igitur cautio & respectus in hac re haben-
dus est, ne decipiatur, neq; medicus tam con-
fidens esse debet, vt audeat patienti quantita-
rem aquæ assumenda præscribere, si thermarum
harum naturam non habeat cognitam. Ut igi-
tur ad rem redeam, diligenter considerande sunt
vires patientis, habitus, constitutio seu tempe-
ries vel totius corporis vel viscerum quotun-
dam, morbus, sexus, atas. atq; secundum harum
circumstantiarum considerationem & respe-
ctum, vel maiorem vel minorem quantitatem,
vel hunc vel illum ordinem & modum aquæ af-
sumenda præscribere debemus. Quemadmodum
igitur quantitas discreta non quidem univer-
sis, sed tantum particularis, vt ostensum est,

F 2

constitui

constitui certa potest, ita quantitas continua
 certo dierum spacio, quam diu aqua sit bibenda,
 definiri nequit. Sunt enim quidam morbi, qui
 potionē longiore opus habent, sunt etiam cor-
 porā, quae morā tantam ferre possunt. Sunt &
 alij morbi, qui paucis diebus potionē absolve-
 re, sunt etiam alia corpora, quae eam diu ferre
 non possunt. Ut igitur neque in hoc error com-
 mitti queat, diligenter circumstantiae perpen-
 denda sunt, & secundum has tempus continu-
 um definiendum. Ac licet tertum numerum &
 quantitatē aquae assumendā præscribere sit
 difficile & periculosum, tamen quodammodo
 medium, qui nec propter excessum oblit virtutis,
 nec propter defectum nullas moliatur evacua-
 tiones, proponere, non inutile omnino aut ab-
 surdum fuerit. Primo autem die assumet ager
 tres vrceos, quorum quilibet quartæ partis can-
 thari nostri consueti capax sit; secundo quinq;
 terio septem; quarto novem. ita enim natura
 se accommodabit ad aquæ operationem, per len-
 tum potionum augmentum hoc modo assueta.
 Quod si primo die parum aut nihil secernatur,
 non est metuendum, recipitur enim intra venas
 & sequenti die maiori in quantitate secedit. In
 novem autem vrcis subsistat ager, & post sen-
 sim retrocedat & regrediatur, & semper duos
 vrcos in sequentibus diebus remittat, ita ut
 quinta die septem vrcos bibat, sexta quinq;
 septima

Septima tres, ita redibit numerus ille primus,
 qui in principio erat assumptus, & sic ager po-
 zionem poterit absolvere septem diebus. quod
 tempus etiam medium est, quod nec ~~tempus~~
 nec ~~tempus~~ ^{tempus} habet, et si sciā illud in pluribus
 pro morbi, virium &c. ratione, nunc produci
 nunc verò præcidi. Hic igitur est noster mo-
 dus, quantitatē tam discretam quam continu-
 am respiciens, quem iudico esse bonum. Quod si
 quis hunc sequatur, & vel exiguae evacuationes,
 vel copiosas nimis experiatur, non is me
 reprehendere poterit, quod ad superius indica-
 tam commonefactionem & instructionem non
 resperxerit, ubi circumstantiarum consideratio-
 nem, quam medicus præscribere debet, inculca-
 vimus. Spectanda enim est cum alijs hic etas &
 corporis siccitas, nam in etate senili sexus ple-
 runq; muliebris non facile secernitur ob virtutis
 expulsiveis imbecillitatem, quemadmodum vidi
 quadam exempla. Praterea in habitu sicco &
 ventre sicco etiam facile retinetur aqua ob supra
 commemoratam causam. Contingit autem sa-
 pè, ut cum plures fiant evacuationes per urinam,
 alvi deiectiones sint pauciores, secundum
 Hippocratem. Quibus noctu urina multa est,
 exigua deiectionem significat. Sed tamen hoc
 notandum est, ut cum excretiones per secessum
 copiosiores esse velimus, salis aliquid aqua asper-
 gamus, per ventrem enim potius sal quam per

prinam descendit. Si autem aquam copiosiorem
ad renes deducere cupiamus, dulce aliquid, ve
luleb, vel mel rosatum admisceamus. Sed hic
in mentem mihi venit, haud recte fieri, cum in
calculosis prinæ promovendæ cansa, in primis
statim diebus dulce aliquid aspergitur. Sæpissime
enim accidit, ut calculus magis commoveatur
& augeatur, deductâ materia pituitosa, quæ in
ventre & intestinis erat, ad renes. Sed in princi-
pio cum aqua assumitur, ad ventrem & seces-
sum ea dirigi debet, ut materia illa e vacuata,
postea sine nocturno renes etiam curari possint.
Sæpè etiam patientes quidam de inflatione ven-
tris, quam hæc aqua commovet, conqueruntur,
sed hæc naturæ aquæ, cum secundum excessum
calida & sicca sit, non est tribuenda, sed potius
frigiditati stomachi, seu si ille non sit frigidus,
humoribus frigidis & pituitosis, qui in illo con-
tinentur, vel etiam retentioni aquæ, inflat enim
quasi, cum primo die retinetur. Obijcere autem
nobis hic aliquis posset, lapidem calcarium etiam
in corpore nostro, quemadmodum in canalibus
hoc fieri videmus, accrescere posse: Cui respon-
deo, ad calcarij lapidis generationem tria hæc
necessaria concurrere, Primo, copiam aquæ, ni-
si enim aqua in magna quantitate non alterata
perfluat meatum aliquem, lapidem hunc genera-
re non potest: nam ut saltem vel quantitate se-
minis papaveris minima portio formari queat,

opim.

opus est multa aqua. Sed intra corpus huma-
num non tanta quantitas, quo lapidem generare
posset, assumitur, ergo etiam formari non potest.
I. calorem ferventem: nisi enim calor assit fer-
ventissimus, non potest illa cementos a materia
& rubrica in lapidem cogi, sed eo tempore quo
hibitur aqua, calor ille ferventissimus dissipatus
est, & calor corporis nostri etiam non est fervi-
dus, sed mitis & temperatus. Quapropter lapis
ille generari non potest. II. necessarium etiam
hoc est ad lapidis generationem, ut nulla facta
sit alteratio & secretio partium materia illius,
qua in lapidem verti debebat, antequam in potu
assumatur, sed necesse sit ut per totam substan-
tiam diffusa sit, quam diffusionem calor & fer-
vor retinet. Sed facta est alteratio & separatio
partium per refrigerationem magnam, antequam
aqua idonea ad potum fieret. Quapropter nullus
si aqua bibatur lapis in corpore nostro generari
potest. Quod si contingat, ut primo die aqua
vomitu regeneratur, diligenter a medico gerpen-
dendum est, vtrum vomitus imbecillitatis ven-
triculi ratione, an vero pituitosorum aliorumque
humorum frigidorum in ventriculo harentium
copia fiat. Quod si is ratione imbecillitatis ven-
triculi contingat, curandum est, ut prasidijs
idoneis adhibitis ventriculus roboretur, &
aqua retineatur. quod si hoc praestari non queat,
intermittendus omnino est potus, si sequentibus

diebus 2. 3. 4. vomitus recurrat. Si vero vomitus fiat prima die ratione copiosorum humorum signum est bonum, nam humores evanescunt multi. Quod si secunda aut tertia die ita recurrat, diversione facta per enema aut alio praesidio huic malo succurrendum. Omnino autem curandum est, ne ventriculus frequenti vomitu debilitetur. Si vero accidat, quod frequenter fit, ut aqua retineatur primo die, non est metuendum, nam in cavitates viscerum & venarum recipitur, & impressionem ibi facit, si vero & altero & tertio retineatur periculum est. Quapropter considerandum est, ubinam aqua, an in ventriculo & intestinis, an vero in habitu venarum retineatur. Quod si in ventriculo & primis venis consistat, clyster ex eadem aqua cum biera simplici injiciendus est. Si vero in habitu venarum, pillula aleophangina aut masticina ante canam exhibenda sunt, ut aqua evanescere possit, eoque tempore quo operatur medicamentum, aqua potio intermitenda est. Sunt etiam alia symptomata, quae aqua potionis superveniunt. Sed cum & rarius evenire soleant, eorumdemque curatio (cum circumstantiae & morbi & agrotantis corporis varient) non sit cuiusvis sed periti medici, ne idiotis nostra instructio errorum pariat, ideo & mentionem illorum & curationem intermisimus. Nunc vero ad quartum caput, de modo bibendi propositum accedamus.

damus. Ut autem indicatum est, ager manè evacuata alvo, in suo conclavi obambulet, ut calor nativus moveatur, ut aqua attrahiri possit, sed non ita, ut corpus incalefcet, ut ad sudandum prouum sit: si etiam conclave non admodum calidum, nec hoc idem contingat, postea assumat aquæ quantitatem secundum respectum circumstantiarum morbi, virium, temperiei, atatis, sexus, &c. constitutam, ita tamen ut vices partiatur, nec iniurget ut ventriculus distendatur, sed haustus distinguat, & inter istos semper mediocris obambulatio intercedat, ut & aqua descendat, & moto calore, aqua melius operari queat. Sat autem erit si potionem absolvat una hora, vel una dimidia, vel etiam dimidia hora, si parva aquæ quantitas assumenda fuerit. Post, potionē peracta, semper mediocriter obambulet, donec hora prandij veniat. quæ definitur mutatione coloria vrine, nam cum iam incipiat vrina pallidior fieri, cum autem, ut fit redderetur alba, iam tempus prandij aderit. Cavendum autem omnino, ne aqua vel nimis tepida vel frigida assumatur, nam præter hoc quod cum nausea assumeretur, etiam operosa & efficax esse non posset, cum quia frigidior iam facta esset, tum etiam quod vires aliquas iam amississet. In tanto igitur calore bibenda est, quanto sensus ferre possit. Quod ad quintum caput de dieta propositum attinet, et si in precedente ca-

pitie aliquid sit commemoratum, tamen hic spe-
cialiter quoq; aliquid subiungam. Cibus sit hu-
midus & facilis digestio, cerevisia diuretica,
non fumosa, non siccans. Vinum non forte nec
vehementer calidum, sed mediocre. Fugient
omniq; ea, quae viscosos & crudos humores ge-
nerant, abstineant a fructibus crudis, a cerasis,
dulcibus, diu enim in ventriculo morantur &
obstructiones faciunt, a prunis & pomis cru-
dis abstineant, item a caseis Boemiciis putrefac-
tis, & ab omnibus ferè caseis. impedimento
enim sunt aquæ, & interdum astus, interdum
flatus, interdum etiam obstrunctiones excitant &
faciunt. Abstineant etiam ab ijs piscibus, qui in
stagnis & paludibus degunt & capiuntur, &
cancris, eligentq; potius pisces qui in saxatilibus
aquis degunt, sed non cum lardo præparent, sed
vel cum aromatibus, vel aceto & buriro, seu
oleo. abstineant a placantis, a frixis, a fumo
induratis carnibus. Cerevisia ea, quæ superiori
indicatis conditionibus contraria est, fugienda
est. Idem iudicium de vino faciendum, sed ita
hodierno die vinum corrumpitur, vi triplo ma-
gis bi qui corrumpunt puniendi essent, quam
alij qui rem aliquam aliam, quæ intra corpus
non assumitur, depravant: bi enim rei illi solum
nocent, illi vero non solum vino, sed sanitati
quoq; obsunt. Vinum Rhenanum igitur vel Ne-
clarinum, si modò non corrumpatur, quemad-
modum

modum cerevisia Schlacca verdiana, vel etiam nostra, si recte præparetur, in hoc casu non erit incommoda. Hoc tamen notandum est, ut hi qui calidioris naturæ sunt, quibus etiam spiritus & vapores ex sanguine in caput facile efferuntur, non bibant frequenter vinum, præseruum cum lavant, sed potius contenti sunt cerevisia, nisi ventriculi & virium debilitatis causa interdum vini aliquid bibere vellint. Etiam, qui vino assueti sunt, non transeant facile ad cerevisia potionem ob humorum commotionem, alteratio enim subita fieri posset. A somno abstinere patiens debet eo tempore quo bibit, ne caput ralleatur & rheumata concitentur. Motus mediocris, nec talis, qui sudorem, ut antè relatum est, proritet. Ira, tristitia, mœror, & similia alia nœbœ, ritanda sunt. concitant enim & revellunt humores, non legitimos, & siccant præterea, & virtutem debilitant, quæ res perniciöfissima est in huius aquæ r̄su. Atque tantum de potionē.

Quod ad lavationem attinet, sciendum est contra naturæ ordinem eos facere, qui nullum tempus ad lavandum consuetum observant, nec si larent considerationem habent horarum, quot lavare eos observatis circumstantijs conveniat. Ita multi reperiuntur, qui statim post prandium balneum ingrediuntur, multi etiam benè poti. & cibo repleti hoc faciunt, non pauci post cœ-

nam etiam lavant. Atq; hic recordor cuiusdam
 medici, qui in regimine illo, quod ysuro aqua
 nostris cuidam nobili præscriperat, suadebat vt
 patiens ille suus post cœnam balneum ingredie-
 tur, sed naturam aquarum ille medicus fortasse
 non intellexerat, tanum abest, vt nemo bal-
 neo dulcis aqua eo tempore vtatur. Sunt etiam
 alij, qui cum sint natura imbecillioris, ad mul-
 tas horas balnei tempus magno cum detrimen-
 to virtutis producunt, alij quoq; qui pauciores
 horas, quam quod morbo conveniat, lavationi
 tribuunt, Multi, qui antè non purgato corpore
 & humoribus præparatis, lavationem subeunt
 magno cum periculo. Hi errores sunt magni, &
 partim ab ipsis patientibus, partim ab hospiti-
 bus ipsis, qui neque naturam morbi, nec circum-
 stantias illas, quæ sapè & necessario referun-
 tur, nec quomodo & quanto tempore lavan-
 dum sit intelligunt, proficiscuntur. Hortor au-
 tem patientes, vt hac in re cauti (oportet enim
 me verum fateri) sint, ne indoctis obtemperent,
 sed medicorum consilia expetant. Ut autem nec
 in hac parte agris instruclio nostra desit, Primo
 indicandum est, quodnam tempus sit ad lavan-
 dum conveniens; I. Quid illos facere oporteat
 antequam balneum ingrediantur. II. Quo-
 modo lavandum. III. Quanto tempore la-
 vandum. V. Quid egressis iam facere post bal-
 neum conveniat. VI. Qua diæta vtendum.

Quod

Quod ad primum attinet, tempus optimum est matutinum, quod post ortum Solis contingit, eo enim tempore ventriculus est vacuus, & virtus & calor noster alijs inserviendis & digerendis non est occupatus, est etiam illud tempus temperatum, nec caloris abundantiam remedianum habet, unde lavantes molestiam percipere non possunt. Est etiam bonum tempus vespertinum, quod est ante cœnam, praesertim si prandium quodammodo digestum idq; breve fuerit, nam virtus, praesertim debiliorum, prandio refecta, melius impressionem aquæ tolerare poterit. Tempus autem illud secundum horologium loci visitatum est hora tertia, ea enim conveniens est, si praesertim aeger hora decima transiit fuerit. I I. Aegri manè surgere debent, & venirem evacuare, postea mediocriter obambulare, ut calor movere incipiat. Necessarius autem omnino est respectus ventriculi, ne is cruditatem aliquam aut flatus, aut alias materias foreat, ne aut dolores cholici, aut distensiones & inflationes, ut sèpè accidit, commoveantur. Quod si hepār fuerit calidum, ventriculus verò, cuius respectu etiam lavatio instituta est, fuerit frigidus, hepār cerato rosaceo aut mirtillo aut santalino, &c. muniendum erit, ne in balneo incalefaciat, idem faciendum si renes ita affecti fuerint. Caput etiam optimè tegatur, ne à vaporibus aquæ lœdatur externis, ita continge

tinget ut sudare possit, quod est bonum. postea
 ad solium seu balneum accedat. Curandum etiam
 ne locus, ubi patientes loturi sunt, sit fumosus,
 nec in illo aer conclusus, sed purus, qui alterari
 queat. Sequitur nunc caput tertium de modo
 lavandi. Observatis praecedentibus preceptis
 aeger se sensim demittat in balneum, immersis
 primo pedibus, mox cruribus, hinc ventre, &
 tandem totó corpore, ita calor noster istam mu-
 tationem melius feret, nec horror excitabitur.
 Aqua non sit rebementer calida; sed temperata,
 si prasertim quis natura calidioris, aut corporis
 aliquanto macri & extenuati lavare debet.
 Cum descendit aeger in lavacrum aquam movere
 non debet, is enim motus ad horroris concitan-
 di causam etiam facit. Quieta igitur esse debet,
 & quietus ager ipse in eo morari, ne ex aqua
 commotione fumi excitentur, qui caput replete
 possint. Habent autem quidam in more, ut in-
 terdum vel totum corpus, vel partem illius im-
 mergant: hoc etsi rationes suas habeat, tamen
 cautio adhiberi debet, ne cum vni parti prosi-
 mus, alteri noceamus. Ut autem certam regu-
 lam patientes habeant, videndum est, an eva-
 cuationis causa, an vero roborationis gratia la-
 vacro vii velimus. Qui evacuationis causa la-
 vacre volunt, totum corpus immergere debent,
 ut ex omni parte humor digeratur & eva-
 cuetur, si enim unam partem solum corporis, ex-
 ampli

empli causa, pedem patiens immitteret, altra-
beret magis à corporis partibus superioribus
materiam, atq; ita non probè evacuaret humo-
rem in parte hærentem affluente nouo. Si igitur
corpus totum affectum fuerit, vt sit illud vel
paralyticum, vel arithriticum, vel scabiosum,
vel aliquem alium morbum in membris exterio-
ribus patiatur, vt sit tumidum, cachecticum,
aut alias humidum, rectè totum corpus immer-
getur. Si verò una pars vel viscus interius male
habuerit, præparato & evacuato prius toto
corpo, eam partem solum aquæ immergere
debet. Ubi robore partem aliquam solum vo-
lumus, totum corpus in solum demittere non de-
bemus, sed eam partem tantum, quam robora-
re volumus. Quod ad quartum attinet, de quan-
titate temporis, quam diu lavandum sit, scien-
dum est, duplex esse tempus lavationis, univer-
sale & particolare. Universale totum illud spa-
cium lavandi, secundum dierum numerum de-
scriptum continet. Particulare vices & moras
lavationis definitam certas horis. Quemadmo-
dum autem supra, cum quantitatibus potionum
mentionem faceremus, nulla certa quantitas &
numerus mensurarum propter circumstantia-
rum differentiam prescribi poterat, ita in lava-
tione propter eandem causam certum & defini-
tuin dierum & moras & horarum in balneo spa-
cium dari haud potest. Consuetum tamen, &
quod

quod medium teneat, referam. Universale tempus quatuordecim aut quindecim dierum esse potest, nam in hoc spacio æger aliquid efficere poterit, præsertim cum aqua nostra sit calida & magnas faciat impressiones, alias enim si aqua frigida & imbecillis esset, hoc tempus producendum esset. Bis autem, ut antè est ostensum, lavare patiens potest, sed non eodem horarum numero. Ante prandium enim mane vel duas vel tres horas, post prandium ante cœnam vesperi vel unam cum dimidio, vel duas etiam ferre potest, habito tamen semper circumstantiarum respectu. Quemadmodum autem in potione secundum numerum mensurarum & vrcorum ascensum, & rursus descensum est: ita æger primis sex diebus numerum horarum augere, & in summo numero per duos, tres aut quatuor etiam dies insistere, & postea rursus horarum numerum diminuere debet semper descendendo, quemadmodum ante semper ascendendo. Ut si, exempli causa, prima die manè per unam horam lavaret, & vesperi tres quadrantes horæ, altero die augebit numerum, & sic tertio, quarto, quinto & sexto die semper paulò plus morabitur in balneo, donec perveniat ad tres horas, quæ incident in diem sextam. In his tribus insistat usq; ad nonum aut decimum diem, & semper paucioribus horis post prandium in balneo moretur, quam factum sit manè. Post decima

aut

aut undecima die descendat semper diminuendo
horarum numerum usq; ad unam horam, quae
incidet in decimam quartam aut decimam quintam diem. Hac est quantitas dierum & hora-
rum lavationis, non quidem secundum omnes
circumstantias morbi, habitus, constitutionis,
sexus. etatis, &c. descripta, sed solummodo
generaliter, medio quodam modo indicata,
quam peculiarem quilibet ager a medico ha-
rum thermarum perito petere poterit. Nunc
ad V. Cum ager e balneo egreditur, corpus
benè vestibus munire debet, ne ab occurrente
aere offendatur; hypocastum calefactum esse
debet, si aer exterior asperior aliquanto fuerit.
Caput etiam detergere & corpus ut vapores e
corpo exhalare possint. post in lectum se recipere,
& sudare, quod raro, ob resiccationem
quam hæc aqua corpori affert, debet. Sudorem
si venerit surgens abstergere, & benè induus
ambulare, post assumere prandium. post
prandium nullo modo dormire debet. VI. Quod
ad dietam attinet, ea talis esse debet, qualis est
prescripta in potionē, nisi quod in lavatione ali-
quanto ad frigiditatem declinare debet. Lavatio
enim plus calefacit & resiccat quam potio. Atq;
hoc etiam observandum est, ut in lavatione prandium
brevis sit; cena aliquanto largior, quemadmo-
dum in potionē prandium largius, cena brevi-
or, ut aqua manè bibi, post prandium autem

G

patiens

patiens lavare possit. Abstineantur usque ad alia assint
 quae concedant) a lavatione febricitantes, mar-
 core corrupti & extenuati, phtisici, heclici
 omnes qui sunt calidioris & siccioris corporis,
 qui etiam cum tali morbo conflictantur. Cave-
 ant hi, qui iam sunt in paroxysmo cholica passio-
 nis, aut qui sunt in paroxysmo calculi, ne balne-
 um intreant. Augentur enim dolores ob motum
 humorem pituitosum qui in ventre est. Purgata
 igitur optimè sint corpora cum lavatione vni ve-
 lint, alias, præsertim in crassis & obesis, gra-
 viSSima symptomata excitantur ob fusum colli-
 quatumq; humorem. Quod si contingat, ut pa-
 tiens, præsertim manè, lavationem tolerare non
 possit, assumat iusculum de carne vituli aut gal-
 line, & sapius repeatat (si spacium prescriptum
 mora ferre non poterit) lavationes, ut quod vna
 vice compleri non poterat, pluribus recompen-
 setur. Omnino autem attendat, ne in balneo aut
 dormiat, aut edat, aut bibat, quod Icire agrum
 alias oporterer. Quod si sitis & ardor corporis
 obviatur, abstineat a balneo per dies aliquot,
 & diæta vtatur humectante & refrigerante,
 bibat manè syrups refrigerantes, ut de Endivia
 & cichorea, atque hepar cum decoctis endivia &
 cichorea foveat, vel bibat aquam acidula no-
 stræ, cui saccharum rosaceum, aut rob de ribes,
 inspersum sit. Post eyacuationem commodans
 adhibeat. Si verò virium imbecillitas metuenda
 sit, in

25

fit, in promptu patientes habeat morsellulos vel rotulas ex speciebus diarrhodonis Abbat. aut de tribus sandalis confectas, ut illis & ante balneum & post balneum uti possit. Si alvi suppressio assit, clystere ex eadem aqua, aut alijs rebus communibus preparato subveniendum. Si capitio dolor, si cum Saccharo rosato aut violato aut diaconite curetur. Sunt & alia symptomata, qua patienti occurtere possunt, sed quia horum cura ad medicum spectat, ideo consulto ea praeterivimus. Hoc tamen quasi appendice monitos agros volumus, ut omnem repletionem tam cibi quam potus, etiam usum Venereum, ut eo tempore minime convenientem & commodum, vivent. Ita recte thermis nostris videntur.

CAP. VI.

DE EO QVID FACE- RE PATIENTES POST vsum thermarum oporteat, cum aut adhuc in thermis sunt, vel iam discedunt.

OMNINO male faciunt huius agri, qui postquam thermarum usum ad finem deduxerunt, commessationibus & crapula plus quam bœotiae indulgent, cum non intelligent, quod cum vires ob thermarum impressiones aliquanto sint fessa & debiles factæ, nec non bimores

commoti, maius malum valetudini sponte accidere possint. Ne autem hoc accidat, moneo illos & suadeo, ut non statim in fine usus aquae calidae, de loco discedant, sed uno aut duobus diebus aut pluribus etiam ibi commoretur, ne corpus adhuc apertum & motum aeri insueto subito exponatur, aut commovetur aliquid, quod commovendum non sit. Modicè igitur in oppidulo nostro obambulet, ut sensim calor & corpus aeri assuefiat. Utentur trapulae, & in praescripta dicta de potionē persistat spacio unius mensis aut mensis cum dimidio. Vitei omnes animi vehementes commotiones, & curet ut alius semper sit laxa. Omnino autem in hoc incubat, ut peracto potu & lavatione, præseruum autem lavatione, medicamentum non valde forte assuumat, ut quod motum colliquatum ve, aut non in locum idoneum protrusum sit, evacuetur. In itinere non vehementer moveri patientes convenit, nec astuentes aut bibere aut comedere oportet, propter præcedentes medicationes. Sed sensim paulatim post remissum calorem, assumere aliquid conveniet, ne corpus aqua quasi renovatum laedatur. Corpus bene tegat & vestibus muniat, ne aer externus illi obfit, viterque post ea omnia, quæ occasionem ad curatum morbum dederunt. Atque hæc paucæ de sexto capite indicata sint satis.

Cap.

CAP. PECVLIARE.
 DE C V T I S C O R R O-
 S I O N E , Q V A N D O E T
 quomodo ea sit vtendum.

IN V A L V I T consuetudo apud nostros ; vt
 agri in quibusdam affelibus cutim & corpus
 corroendum aquis subijciant , idq; faciunt cum
 aquæ refrigerata , & tepidiores factæ sint. Etsi
 autem hæc consuetudo in quibusdam affelibus
 mihi non displiceat , tamen magni errores vel ab
 ipsis ægris , vel consilio hospitum sapè commit-
 tuntur. Quidam enim non purgati corpore aquis
 rodentibus sese commitunt ; quidam hoc faci-
 unt cum non opus sit aut conferat , quidam ni-
 mis refrigeratis illis vtuntur , quidam longiore
 tempore in aquis quam oporteat morantur .
 quidam dolorem ob corrosionem & exulcer-
 rationem ferre non possunt , sed statim ante tempus
 calida vtuntur , vt consolidatae cete dolores ces-
 sent. Quare autem frigida , hoc est , non in gradu
 extremo frigida , sed tepida corrodat & exculce-
 rat , calida vero consolidet , iam causam refe-
 ram. Etsi autem libenter vnicuiq; suam opinio-
 nem relinquam , tamen meam hic attexam. Atq;
 sunt duæ cause , cur refrigerata rodat. Prima
 est aluminis chalcanthi & nitri acredo , quæ mi-
 nera in refrigerata aqua potentiores vires ba-

bent quām in calida. In calida enim partes eorum minerarum diffusæ & disiectæ, etiam quodammodo obtusæ sunt, atque ideo non sunt ita actuosa & efficaces: in refrigerata autem coniunctæ & acres sunt, calore qui illas diffundebat & obtundebat dissipato. Secunda est absentia pinguedinis calcis, rubra & alba terra, quas antè rubricam & bolum albam appellavimus. Haec enim pinguedines cum per aquam diffusa, caloris qui eas retinet beneficio, adhuc integræ, nec per vaporem resolutæ aut refrigerationem secretæ sunt, mineras iam relatas obtundunt, ut vires suas exercere non possint, obtusa à viscosa pinguedine calcis & bolorum. Pinguedo enim acredinem obtundit. Cum verò illa viscosa pinguedo per vaporem dissipatur aut secernitur, id quod contingit cum aqua refrigeratur, tunc acriores illæ minera iam ab illa pinguedine liberatae, vires habent multo potentiores & valentiores. atq; ideo aqua refrigerata cum corredit, cùm propter caloris absentiam, qui disiectebat partes minerarum: tum etiam ob dissipatam & secretam calceam sulphuris & bolorum pinguedinem, qua calida adhuc existente aqua obtundebat vim earundem. atque hæc est causa, cur refrigerata rodat & exculceret. Cur autem calida consolidet manifestum esse poterit ex relatis, nam pinguedo & calor aquæ frenant & impediunt actionem acrum mineralium, ne

rum, ne consolidationi obstatere possit. Saxum, verò calcarium, nec non rubrica & bolus alba (ex cuius succo velut materia gypsea in materia cementosa nascitur) exiccat & consolidant. Atq; hec est causa cur calida consolidat. Hanc ego, quantum quidem indagatione solerit assequi potui, existimo rationem esse probabilem & veram. Quod si quis meliorem excogitarit & proposuerit, hanc libenter audiam. Rodit autem aliud citius, quam alterum non quidē propria actionis ratione, sed accidentis & relative. Quorum enim habitus corporis humidus & rarus, & cutis rara & subtilis est, horum corpus & cuius facilimē corroduntur & exulcerantur materia enim pro exulceratione adeſt, nec non facilis est illius attractio, raro habitu corporis & subili cute existente. Quorum verò habitus corporis est densus & siccus, nec non cutis durior, his cutis non facile corroditur, & quia paucior est materia, & meatus densi & siccii, per quos trahi illa debet, sed tantum illa lente attrahitur, sub cute latens, nec in pustulas ut in priori corpore resolvitur, sed cum calida aqua adhibetur, tunc materia illa conclusa & frigida mobilis & actuosa redditur, et pustula prorumpunt, & exulceratio oboritur. Non autem est existimandum calidam quoque corrodere, cum hec illius non sit propria actio, sed quia materiam aqua refrigerata attractam attenuat.

& moveat ut extra cutem prorumpat, & parva
 pustulae & vesculae fiant, ideo putatur cutum
 exulcerare & corrodere, cum potius, ut ante
 indicatum est, consolidet, nisi quis dicere velit
 hanc corrosionem fieri per accidens. Ut autem
 res fiat planior & certior, indicabo primum,
 qui corrosionem experiri debent, qui non. I I.
 Quando vtendum corrosione. I I I. Quomodo.
 I I I I. Quam diu. Quod ad primum attinet,
 non quibus sine respectu & discriminione corrosio-
 nem subire debet, est enim illius magna vis.
 Atq; ideo ut respectus & virtus & morbi ha-
 beatur, ij moram aquæ tam diutinam & ex-
 ulcerationem ferre posunt. I. Qui habitum cor-
 poris habent bonum & firmum. I I I. Quibus
 constitutio seu temperies est humida. I I I I.
 Quibus fortis est virtus, nam omnino in ista re,
 ubi lavatio, praesertim in refrigerata aqua, in-
 tantum tempus extenditur, virtute & calore
 firmo opus est. I I I I. Quibus caro rara, humi-
 da, & cutis tenera & subtilis est. V. Quibus
 malum vel in habitu musculo, vel articulis vel
 brachijs & cruribus consistit, si vero aut in ce-
 rebro, aut ventriculo, aut iecore, aut liene, aut
 renibus, aut matrice, aut alijs in visceribus in-
 ternis malum hæscrit, frustra suscipitur, imo cum
 detimento, hoc praesidium. V I. Corrosione
 vtentur ij, qui revellere ab interioribus ad ex-
 teriora malum volunt. Est enim hujus in re-
 vulsione

vultione magna vis , cum materia velut per-
 cauterium opposita revellitur & attrahitur.
 Haec igitur sunt indicationes quae ostendunt , qui-
 bus corrosio adhiberi & vilis esse possit. Cor-
 rosionem vitare debent siccari , extenuari , senes-
 tales sint , sive per accidens ita facti , etiam hi
 quibus natura & virtus debilis est , hi qui sca-
 bie siccata aut senili laborant , qui cutim densam
 & siccac habent , omnes hi , vel quia corrosio-
 ne nihil proficerent , vel virtutem longiori in
 balneis mora debilitarent , vel corpora ante fri-
 gida nimis refrigerarent , nisi adessent aliae indi-
 cationes , a corrosione & ulceratione abstinere
 debent. Sequitur II. Quando corrosione veni-
 dum. Non quovis tempore ad corrosionem &
 exulcerationem veniendum , sed eo , cum & aer
 tepidus , & corpus humidius existat , nihil enim
 est quod adeo cuti & corpori exulcerato obsit
 ac aer frigidior & asperior , cum enim corpus sit
 apertum , & humores moti facile , vel ex levi
 saltem alteratione , gravissima symptomata ,
 prasertim in corpore tenero & iam languido ,
 ob continuam moram in balneo facto excitari
 possunt. Ideoq; neque hyemali tempore , neque
 alijs temporibus , in quibus aer aliquanto aspe-
 rior & frigidior est , corrosionem suadeo , sed so-
 lummodo calido & tepido , quale est principi-
 um aestatis & pars ultima veris , quod si au-
 tumnale

tumnale tempus tepidum, & calidum aërem
habuerit, non est illud pratermissendum. Pra-
terea non est descendendum ad corrosionem, ni-
si eo tempore, quo corpus a superfluis & pec-
cantibus humoribus evacuatum fuerit, alias
enim si quis sine purgatione se eiusmodi exulce-
rationi committere auderet, in gravissima sym-
ptomata incideret, ut lipotymias, vertigines
inflationes, dolores cholicos, dyspnæas, atq; alia
quamplurima, novi enim exempla. Ad III.
quod attinet, quara diu in aqua morandum do-
nec corrosio fiat. consuetudo non admodum bo-
na invalidit, vt quidam una die & nocte conti-
nua, quidam duabus diebus & tot noctibus,
aut etiam pluribus, sine consideratione aut vir-
tutis, aut morbi, aut aliarum circumstantiarum,
continue in balneo morentur, & periculose na-
turam affligant, cum alia ratione eam rem insti-
tuere possent, vt noctem, cui requies & somnus
dicatus est, omittent. Non autem certum
tempus moræ in balneo, ob sapè relatas circum-
stantias morbi, habitus, aetatis, virium, defini-
ri potest. Quaedam enim corpora parvo tempore
ad exulcerationem veniunt, quædam vero lon-
giore, id quod te presens conditio, hæcitus cor-
poris, cutis & temperie, vt supra ostensum est,
docebit. Humida enim corpora, & rariorâ, vt
dictur, texturæ, nec non tenerioris cutis, ci-
tissime ad corrosionem perveniunt, quemadmo-
dum &

dum. & huius & opposita rei exempla vidi.
 Non autem suadeo, ut noctem in moram lavandi assumant, ne natura ob vigilias nimis debilitetur, & cruditates in ventriculo ob eandem causam colligantur, quae res pernicioſiſſima est in proposito caſu ſubeunda corrosionis. Cruditates enim illa ad ſuperficiem attraherentur. Omittenda igitur nox eſt, & dormiendum, ut virtus refici queat, & moram lavationis interdiu ſuſtinere poſſit, neceſſe eſt enim, ut ſi corpus reſolvi debet, una die vel decem vel duodecim horas lavando conſumar, adhibito tamen reſpe-ctu circumſtantiarum, ita, ut ante prandium ſex, poſt prandium quatuor aut plures horas, ſi cito & parcè pransus fuerit, & ager robuſſuſ fuerit habituſ, abſolvere poſſit, tamq; diu la-vandum donec cutis corrodatuſ. Sed hoc obſer-vandum eſt, ut primo die à pauciorib. horis in-cipiat, exempli cauſa, ſi ante meridiem tres, poſt meridiem duas abſolvat, & poſt ſemper aſcendat, & duabus aut pluribus horuſ numeroſum augeat, donec corroſio veniat. Atq; etiam hoc notandum eſt, ne aqua nimis ſit refrigerata. refrigerat enim corpus non ſolum actualiter, ſed etiam potentialiter, quod ſi fieret, ſymptomata gravia ſequentur. Ita autem refrigerata eſſe debet, ut lavans non frigeat, nec horrore ob ſinguſ ſtimuletur, ſed teporem, non calorem, qui ſudorem movere poſſit, perſentiat. Novi enim hoſpi-

hospites qui sine discriminē patientibus omnib.
 valdē tepida, hoc est, frigidam, qua horrorem
 inducit, suadeant magno cum detrimento pati-
 entum. Quod si quis ad exulcerationem festinet,
 curet ut balneum non quotidie expurgetur, sed
 tertio vel quarto quoq; die, acrior enim sit stans
 aqua, et cutim citius quam alias corrodit. Quod
 si iam cutis corroso sit, ager, quod quarto loco
 de modo proposuimus, non ut ante in balneo
 morari, sed inde egredi (nam temporia diutur-
 nitate virtus nimis debilitaretur) & se optimè
 vestibus præmunire debet, ne corpus ab aëre of-
 fendatur, & in hypocaustum calefactum ingre-
 di, atque ibi vel obambulare, vel sedere, vel si
 hoc non possit, cubare debet, ut materia noxia
 effluere possit. Post unam autem vel duas etiam
 horas balneum iterum ingredi, ibi; per unam
 horam aut paulo plus, morari debet, post ite-
 rum ingredi, & eodem modo, ut ante indicatum
 est, ad duas vel plures horas extra balneum mo-
 rari debet, ut materia peccans effluere possit,
 post iterum se immergere secundum horas con-
 suetas lavando debet. Idq; facere quantum pos-
 sibile quater aut quinques uno die, in eoq; duo-
 bus aut pluribus diebus persistendum, donec
 ichor ille fluere desinat, & corpus sit resiccatū.
 Post veniendum ad calidam, qua primo die ca-
 lorem magnum non habeat, sed temperatum,
 atq; ita temperatum, ut paulo calidior tepida ea,

qua

qua patiens in corrosione r̄sus fuit, sentiatur;
 quod ideo æger notare debet, ne corpus apertum
 calore l̄adatur. postea semper & in calore &
 mora sequentibus diebus ascendat, donec conso-
 lidatio firma & cutis d̄nsior fiat. Dividenda
 autem sunt (ut antē quoq; de mora & in balneo
 & extra illud ; cūm corpus corrosione apertum
 factum esset, indicatum est) lavationes primis
 diebus in plurimas vices, ne corpus mora offendatur, ita vt primā die quater aut quinquies la-
 vet, atq; vna vice quadrantem, aut quadran-
 tem cūm dīmidio vnius horae consumat, & extra
 balneum in cālido hypocastlo vna hora moren-
 tur, vt calor attrahi & natura operari possit.
 Pōst sequentib. diebus semper moram in lava-
 nō augeat, & tempus quoq; extra balneum ali-
 quanto producat, & vices in principio pra-
 scriptas diminuat. Quod ad observationem re-
 rum sex non naturalium attinet. Aëre æger vta-
 tur puro, non fumoso & hūmido; ideoq; videat,
 vt in loco eo, vbi aer alterari queat, & fumi non
 sint conclusi, habitet. Fugiat aerem frigidum,
 pr̄sertim quando balneum egreditur, caput be-
 nē muniat, ne diuturnitate lavationis offendatur.
 Cibus sit facilis digestionis, cui etiam ea, quæ
 virtutem & corroborant, admista sint. Vino in-
 terdum vratatur ob eandē causam. Dūm in balneo
 moratur non edat aut bibat, vt solet plerunq; in
 hoc casu fieri, dum æger lavationes continuare
 vult,

vult, aut dolorēm, qui extra balneū, corrosō corpori accidit, metuit, sed extra balneum prandiola sua & cœnulas habeat. A somno abstineat, replet enim caput, & virtutem animalem debilitat, & humores à superficie ad centrum revocat. In primis autem curet ne alvus obstruat, est enim in hoc casu perniciosum. Quapropter aut brodio ex prunis, aut cassia alvum molliat & laxet. Mæror, ira, in tanta lavationis diuturnitate ut res perniciossima, præsertim mæror, abesse debent, debilitant enim virtutem, resiccant corpus, & ab exterioribus ad interiora humores revellunt. Atque de corrosione tantum. Nunc aliquid de ducia seu stillicidio est commemorandum.

DE STILLICIDIO.

Mos etiam hic non est laudandus, vt multi sine respectu & consideratione habitus corporis, loci affecti, humorum, temperiei, &c. caput aut alias partes stillicidio subiçiant, unde etiam contingit, vt peius muliò quam aniè habeant. Quidam etiam statim in principio, cum neq; ante bibissent aquam, aut in ea lavasset, quidam sine purgatione, quidam etiam in balneo stillicidio vtuntur. Huiusq; igitur universi errant, & non rectè valetudini sua prospiciunt. Ut autem neque in hoc agris scriptio nostro desimus, indicabo primò, quibus stillicidium

dium prodesse, quibus obesse possit. I. Quae facere ægrum oporteat antequam stillicidio ratiatur. II. Quando ad stillicidium descendere debeat. III. Quomodo se in stillicidio gerere debeat. V. Quam diu. Quod ad primum attinet, stillicidium prodest omnibus refrigeratis & humidis partibus, his præserim, quibus lavatio impressionem magnam non facit, aut ad quas illa non pervenit, ut est caput & occiput interdum. Sæpè enim accidit, ut cum lotio vincere humorem aut partem robore non possit, stillicidium hoc præstet, ut cum malum pætinax hæreat, aut in brachijs & cruribus aut spinali medulla per stillicidium solvatur & superetur. Partibus, igitur nec vosis atq; ipsi cerebro illud optimè prodest, frigidis & humidis, ut antè quoq; indicatum, illis existentibus: ita catarrhis frigidis, dolori capitis & vertigini, atq; alijs affectionibus capitis humidis & frigidis, it: lapsæ memoria, ob eandem causam, prodest. Obest stillicidium his quibus caput facile impletur, sive hoc scilicet caliditatis illius ratione, sive imbecillitatis illius, nam veroq; modo caput repleri potest. Obest etiam stillicidium his, quibus caput est calidum & succum, aut alias imbecille. Propter caliditatem enim illius plus calefieret, propter imbecillitatem stillicidium sustinere non posset. Obest etiam stillicidium his, quibus corpus nimis calidum, vaporosum aut plethoricum, aut etiam humidum

midum nimis fuerit: caput enim calefactum attraheret ab inferioribus vapores & materiam, quibus repletum in gravissima symptomata incidere posset. Atq; hic notandum est, si caput ex consensu ventriculi male afficiatur, non illud ad stiblicidium revocemus, sed prius potionē & lavatione ventriculum curemus. Hac autem cura & consideratio non ad idiotas & hospites, vt ante quoque est ostensum, sed ad medicos pertinet, neque generalia praecepta ita possunt prescribi, vt ad omnia individia accommodari possint.

I I. Aeger, vt antē indicatum est, non in principio statim, antequam vel potionē vel lavatione usus sit, ad stiblicidium venire, sed in fine, postquam vel ambo illa vel alter utrum absolum sit, illud aggredi debet, nisi neutro opus habuerit, tunc nullius respectum habere potest, nec etiam sedens aut iacens in balneo stiblicidio partes subiectat, nam dum in balneo humores fundantur & collquentur, fieri posset, vt à capite calefacto illi attraherentur. extra igitur balneum recto bene corpore iacens, vt ego in Italia vidi, desuper cadentem aquam, raso capite, excipere debet. Ante omnia autem corpus prius bene purget, & postea etiam eam partem, quam stiblicidio submittere vult, ne affit materia qua ad eam partem, præcipue vero caput, attrahi, aut si ante fuerit in ea commoveri possit;

novi enim & audiri ab hominibus fide dignis

EXEMPS

exempla eorum, qui cum vel sine purgatione totius & partis vel plethorici nimis & humidi stillicidio vsi fuissent, in apoplexiam incidissent, quapropter ante stillicidium diligenter consideranda sunt circumstantiae, an illud possit conferre, & si utile futurum sit, diligenter corpus prius purgetur. Est etiam hoc notandum, ut aeger non nisi alvo prius manè evanescata ad stillicidium accedat, curetq; ut locus, vbi illud recipere vult, non sit paludosus, aut humidus, aut ventosus, vel etiam ibi aë spiret frigidior, vel etiam Sol eò radios suos mittat. Obsunt enim ista omnia stillicidio. Sic igitur se præparare debet aeger antequam stillicidium subeat. Sequitur III. de tempore, quando ad illud accedendum sit. Est autem tempus duplex, univ ersale & particula re. Quod ad univ ersale attinet, ut ante de corrosione dictum est, tempus esse debet neq; valde calidum, neq; frigidum, sed tepidum, quale est principium aë status & finis veris, & in autumno quadam partes sunt, quæ neq; excessum caloris habent, nec sunt frigidae, ijs igitur temporibus stillicidium est conveniens. Quod ad particulare attinet, matutinum tempus nec non vespertinum, quod incidit ad horam tertiam, est aptum, quo tempore etiam hoc notandum est, ne prandium excessum habeat, sed breve sit, nec ex ijs, quæ vel difficilis sint concoctionis, vel multos fumos ad caput mittant, ut sunt coepe, allia, &

H similia,

sit apparatus, alias enim stillicidium non futurum est salubre. Nunc IIII. considerandum renit, quomodo patiens se in ipso stillicidio gerere debeat. Evacuata igitur manè, ut relatum est, alvo, ager ad stillicidium descendere, & corpus benè munire & tegere, nec non vocis contentiones & cantiones vitare debet, abstineat quoq; à somno, replent enim hac omnia caput. Peracto stillicidio ager caput tegere & detergere debet, idq; facere non valde calidis linteis, ne caput nimis incalescat, sed tepidis, postea mitra linta tegere & munire illud debet, ne ab aëre externo offendatur. Atq; tectum caput ita servare toto tempore stillicidiū. Post stillicidium non statim prandeat aut cœnet, ne motus evaporationis impediatur, sed ager paulatim caput refrigerari sinat, ut ad prandium aptus esse possit. Est etiam hoc observandum, ut si pars aliqua frigidior, aut densioris carnis, aut cutis fuerit, ut in senibus & alijs complexiōnibus accidit, aqua altiori loco cadat, ut major fiat impressio, si verò fuerit calidior & rarius constitutionis ex humiliori. Præterea, ut de alijs quoque est ostensum, non à calidiori incipiatur stillicidio, sed à tepido & mediocriter calido, & sequentibus diebus semper calorem augeat, quantum quidem sensus & virtus ferre potest. Prandium, ut indicatum est, non sic longum, nec ex ijs, qua sunt difficultis concoctionis,

nec

ne multos fumos generet , sed ex temperatis in-
structum , ne stillicidio vespertino ob sit . Post
quatuor igitur horas prandio absoluto , rur-
sus stillicidium subeat , & eodem modo sese gerat
& in ipso stillicidio & post illud , ut est pre-
scriptum in antemeridiano detergendo & sic-
cando caput , & mitra lintea muniendo . Hac de
quarto . Nunc de quinto aliiquid . Quam diu in
stillicidio subsistendum sit . Hic rursus & uni-
versale & particulare tempus considerandum
venit . Et quia iterum magna est differentia
partium , virtutis , & aliarum circumstantia-
rum , quarum consideratione tempus certum pre-
scribi non potest , ideo non multum verborum
faciemus . Hoc tamen medium quodammodo ,
quod nec propter excessum ladedere possit , nec
propter defectum nihil efficere , judicarem esse
observandum , ut stillicidium , cum haec aqua sit
calidissima & magnam faciat impressionem , ul-
tra septem dies non produceretur . Sed ut com-
memoratum est , certum tempus ob circumstan-
tiarum differentiam constitui nequit , potest
enim pro individuorum respectu , & contrahi &
extendi , quæ res ad Medicum & harum aqua-
rum peritum pertinet . Tempus vero particulare
eandem etiam ob causam certum & statum de-
finiri non potest : sed tamen si medium iterum
consideremus , existimarem ego , si ante meridiem
vna cum dimidia , post verò meridiem vna sal-

tem hora, partem sub stillicidio retineret. Sed quantitatem horarum & etas & habitus illarum partium, quae stillicidio sunt subjiciendæ, nec non virtus & temperatura docebit. Et que cunq; de potionē, lavatione & corrosione supra sunt præscripta, ea etiam hic consideranda veniunt. Atq; tantum de stillicidio.

DE STVFFIS.

APUD nos hactenus non fuit usus stuffarum, quarum tamen si in usum venirent, præsertim in his nostris thermis, magnum esset præsidium, vapores enim aquarum nostrarum valde fundunt, attrahunt & resolvunt per sudorem humores, nec non excalfaciunt & resiccant, vnde cacheticis & futuris hydropticis, arthriticis, scabiosis, & similibus, qui affectum & vitium in partibus corporis exterioribus patiuntur, prodecent. Quomodo autem stuffæ parari (nam sunt quædam loca, in quibus ob auram illam abominabilem foveæ fieri non possent) deberent, suo tempore popularibus meis, Deo volente, ostendam, bene enim stuffæ, licet non per foveas, ut ego ad balnea Aponitana, Senensis & Neapolitana in Italia vidi, construi & formari poterunt. Nulla autem nunc præcepta dari de his possunt, cum nullæ sint, quæ extant.

Atq;

A T Q V E hucusq; produxit autor tra-
ctatum suum de usu calidæ in thermis Ca-
rolinis. Quod si non illum nobis eripuisset,
mors immatura, dedisset ipse & hæc & alia
plura cultiora & magis elaborata. Hæc
enim, quæ nunc edimus, fuerunt ab ipso pro-
ratione temporis & aliarum occupationum
hoc modo concepta, quæ tamen ipsa nos
nō perire, sed liberaliter omnibus eruditis,
ijsq; in primis, qui hac calida vsuri essent,
communicare voluimus, quæ vt grata ac-
cepta q; sint, pétimus humaniter ab uni-
versis.

F I N I S.



H 3

INDEX

INDEX IN HOC
OPUSCULO CONTENTORUM,
in quo numerus paginam, a primam,
b secundam, c tertiam ejus
partem notant.

A.

- Abstergendi vis in aquis unde oriatur 29 c.
31 c.
Acredo unde oriatur 25 a. 87 c.
Admonitio ad Senatum in thermis Carolini-
nis 20 b. ad Incolas 22 c. 62 a. ad infectos
homines 15 c. 78 c. ad Medicos 69 a. 89
a. ad Exteras regiones & Urbes 16 a.
Æstas iniens apta ad aquarum usum, adulata
& extrema minimè 53 a. 55 c.
Affectus vehementiores ante usum & in usu
thermarum vitandi 38 b. 51 b. 60 b. 77 b.
Aloysius Bellecarus Medicus celeberrimus
Patavij 53 b.
Alumen in fontibus Carolinis 25 b. 26 a.
fodinae aluminofæ 26 a.
Aperiendi & adstringendi vis in aquis unde
sit 31 c.
Apoplectici quomodo uti debeant aquis
35 c. 51 b.

Aqua

I N D E X.

Aqua calida bibenda non tepida 66 b. 67 a.

75 c.

Aqua testaceo vel lapideo vase , non stanneo
vel plumbeo excipienda , benéq; tegenda
66 c.

Arthriticis qui fons utilis 19 a. 35 b.

Attrahendi vis in aquis unde sit 29 c. 31 b.

Autumnus ad thermas aptus ; sed cum cau-
tione 55 c. 56 a.

B.

Balneum cōmune distinctum in duo Con-
clavia 15 a. incolis advenisq; patet , nisi
morbis sōnticis fuerint infecti 15 b.

Balnea communia ubi olim fuerint 20 c.

Balnea civium 21 c. 22 a.

Balnea pro tenuioris fortis hominibus 16 c.

Balnea pro infectis tria , 1. pro scabiosis 2.
pro leprosis. 3. pro iis qui magnis ulceri-
bus laborant 15 c.

Bolus alba 28 a. b.

C.

Carolinæ thermæ denominatæ à Carolo
IV. Imp. 3c. ratio denominationis 2 a.
à cane inventæ 2 a. occasio inventionis
2 b. annus quo repertæ 4 a. à Carolo ha-
bitabiles factæ 2 c. oppidum constructum
& arx cæpta 3 b. c. ab eodem in proprio
corpore usurpatæ 2 c. Locus ubi Imp. la-
vit,

I N D E X.

- vit , Sella Imperatoris Caroli, dictus 3 a.
 21 a.
Carolinæ thermae ex nitro salis , saxo calca-
rio, alumine, sulphure, rubrica, chalcantho
& bolo alba contemporatae 24 c. corpo-
ribus frigidis & humidis utiles 30 c. Item
obesis & crassis 32 a. 37 a. siccis quoque
& calidis ex humiditate 32 a. b. profund
dolori capitis , catarrhis , vertigini & ad
Epilepsiam dispositis 32 b. c. Item , ocu-
lorum atq; aurium obstructionibus 33 a.
Item , tussi asthmati 33 b. colicis & dysen-
tericis 33 c. lienis, epatis, vesicæ & renum
affectionibus 33 c. 34 a. mulierum mensibus
34 a. scabie quoq; , lepræ & serpentine &c.
infectis 34 c.
Canales per quos aqua in ædes & balnea ci-
vium deducuntur 10 c. 12 c.
Chalcanthi venæ in thermis 27 a. 28 a.
Cibus & potus patientum ante usum ther-
marum 60 a. 61 a. 68 a. in usu 76. 77.
Post usum 83. & seqq. in corrosione cutis
95 c. 96 a.
Colliquandi & consolidandi vis in aquâ un-
de sit 29 c. 31 c. 92 a.
Corrosio cutis ab aqua 22 a. 25 a. 31 c. 87.
& seqq. quibus prospicit 90. quibus obfit 91
a. quando eâ utendum 91 b. c. 92 a. quam-
diu 92 b. 93. quomodo 94 & 95.
Creu-

I N D E X.

Creusina scaturigo obruta magno cū ægrotantium detimento 19 c. 20 b.
Curia in thermis Carolinis locum occupavit, ubi primum Carolus Imp. lavit 3 a.
20 b.

D.

Depola fluvius nomen habet à depli quod
Boiemis tepidum significat 5 a. labitur
curvo fluxu per thermas 5 b. dividit oppidum &c. 23 a. labitur totus ferè super saxonum calcarium arenâ tectum 23 a. In Egram fluvium se exonerat 5 b.
Dies Caniculares minus commodi ad aquarum usum 53 a. 56 c.

E.

Exhalationes venenatae in multis circa thermas Carol. locis 7 b. 8 a. 14 c. 16 b.

F.

Flos calcis 22 a. caufsa ejus Ibid. major minorve ejus copia pro aquæ adfluxu 22 b.
Fodina calcis plena exhalationum venenatarum 7 b. non absimilis alla grotta venenata à Pozolo in Campania 7 c.
Fons acidus ad radicem montis Acidulæ 4 b. Spiritus ejus sulphureus mixtus cum alumine & chalcantho 6 a. Usus ejus in calidis morbis, nephriticis &c. 6 b.
Fons omnium in thermis Carol. calidissimus

I N D E X.

- mus 10 a. incolis ad varia commodus 14
 c. 15 a. duæ ejus scaturigines à quibus per
 canales aquæ in ædes civium deducuntur
 10 c. vehementissimus ejus fluxus & ca-
 lor 11 b. 12 a.
Fons quo Carolus Imp. usus creditur 3 a.
 21 a.
Fonticulus tepidus 17 a.

 H.
Hieronymus de Capitibus Vaccæ Medicus
 celeberrimus Paduæ 53 b.
Hydropicis thermæ inutiles 34 b.
Hyems ad thermarum usum inutilis 52 c.
 55 a. c.
Hypocauita & conclavia patientum qualia
 esse debeant 60 b. 61 c. 62 c. 75 a.
Hospitia ditiorum 19 b.

 I.
Ignes erratici indicia sulphurearum exhala-
 tionum præbent 5 c.
Incolæ thermarum nostrarum mirum quâ-
 tum ab agyrtis, mendicis & infectis infe-
 stantur 15 c. 16 a.

 L.
Lagrotta venenata à Bozolo in Campania
 7 c.
Lapilli tophacei, rotundi, diversicolores 8 a.
 quomodo generentur 8 b.
Lepro-

I N D E X.

Leprosis quomodo thermæ utiles 34 c. 35 a,
cautio in eorum curatione Ibid.

M.

Medicatio ante aquarum usum in quibus
consistat & qualis esse debeat 57. & seqq.
medicatio post thermarum usum 86 a.

Medicorum, vulgi, & hospitum, quibus a-
quarum natura & vires incognitæ, consi-
lia non audienda 63 c. 64 b 78 a. 94 a.

Mineræ quæ in thermis Carolinis reperiun-
tur 12. & seqq. b. 22 c. 24. & seqq. quæ
prædominium in iis habent 27 b. 28 b.
29 b.

Montes qui thermas Carolinas cingunt 4 a.
& seqq. Fagorum mons 4 b. 5 c. Acidulæ
mons 4 b. 5 a. mons à stridore lapidum
Böschberg dictus 4 b. 6 b. Cervorum ru-
pes 4 c. 6 b. Steinberg 5 a. 6 c. Klüsschberg
5 a.

Morbi quibus curandis fontes Carolini uti-
les 18 c. 32. & seqq. 35 c. 36 b. & seqq. 39.
& seqq.

Morbi quibus inutiles 34. & seqq. 39. & seqq.
Morbi acuti quibus thermæ mederi possunt,
& quibus non possunt 40 b. c. 41 a.

Morbi contumaces & durantes quomodo
thermis curandi 41 b. c.

Morbi qui celeriter nunc in principes cor-
poris

I N D E X.

poris partes , nunc in alias irruunt, quo-
modo curandi 41 c.
Motus corporis immodicus ante, in, & post
aquarum usum vitandus 60 c. 61 a. 75 a.

N.

Nephritici quomodo aquis calidis curandi
33 c.
Nervorum passionibus thermæ Carolinæ u-
tiles 34 b. 35 b.
Nitrum salis multis in locis thermarum
nostrarum nascitur 14 a. b. 17 b. 18 b. 19 a.
24 c. 25 a. 28 & 29 a.

P.

Pedum tumoribus thermæ utiles 34 b.
Phthisici quomodo aquis uti debeant 33 b.
38 b.
Pituitosis qui fons utilis 19 a. 32 a.
Platea crucis & scaturigines in ea 16 b. &
seqq. 21 b.
Podagrīcīs thermæ utiles 34 b.
Potio aquæ calidæ humectat & refrigerat
42 c.
Potio & lavatio eodem die non est usurpan-
da 64 c. nec alternis diebus lavandum &
bibendum 65 c. nec inter lavandum nec
ante somnum bibendum 65 b. 67 b.
Pratum Iohannis Sommeri p. m. in quo lo-
cus, qui nive tegi nequit 17 c.
Quo

INDEX.

Q.

- Quo tempore ad thermas nostras sit accedendum 52. & seqq.
 Quomodo præparare se debeant patientes
 ante thermarum usum 57. & seqq. in medicamentis utendis 58. 59. & rebus VI.
 non-naturalibus, ut vocant 60. & seqq.
 63 a.
 Quæ observanda patientibus in usu ipso 63.
 & seqq.
 Quæ antè potionem aquæ 38 a. 44 b. 48 c.
 63 b. 67 b. 68 a. 75 a.
 Quæ in aqua bibenda 66 b.
 Quantum aquæ bibendum 68 & seqq.
 Quamdiu bibendum 65. 66. 70 c.
 Quando bibendum 67 b.
 Quid Medico agendum si æger aquam potam revomat 73 c. Si eam retineat 74 b. si alvi suppressio adsit 85 a. Si præ siti lavare nequeat 84 c.
 Quæ post potionem observanda 78 b.
 Quibus aquæ potio tantum vel lavatio tantum, vel utrumq; conveniat 38 a.c. 42 & seqq. 84 a.
 Quæ facienda ante balnei ingressum 79 b.
 Quomodo lavandum 79 a.b.
 Quamdiu lavandum 81 b.c. 82. & 83 a.
 Quæ facienda egressis post balneum 83 b.
 Quæ diæta itidem servanda 83 c.
 Quæ

I N D E X.

- Quæ facienda post usum thermarum 85 c.
& seqq.
Quomodo aqua in solia immittenda 22 c.
23 a.
Quercus quæ in saxum induruit 72
Quibus obesse vel prodesse thermæ Caroli-
næ possunt 36. & seqq.

R.

- Refrigerandi vis unde 29 c.
Reficcandi vis in aquis unde 29 b. 30 a.b.
Roborandi vis itidem unde sit 30 b.
Rubrica in thermis Carolinis 27 b. 30 b.

S.

- Sal in fontibus Carolinis 25 a.
Saxum arenarium 23 a.
Saxum calcarium ubiq; in thermis Caroli-
nis reperitur 8 c. 17 a. 23 b. 26 b. 28 b. va-
trii coloris & formæ est 8 c. 9 a. Causæ ejus
varietatis 8 c. 9 b. 12 c. 13 a. 23 b. quomo-
do generetur 11 a.b. 13 b.c. 72 c. canalibus
accrescit 13 c. 25 b.
Scaturigines aquæ ferventissimæ 23 c.
Scaturigines aquæ tepidæ 18 a.
Silvæ olim fuerunt ubi nunc thermæ Caro-
linæ 2 a.
Situs thermarum Carolinarum juxta I V.
Cardinales ventos 4 b.
Somnus ante aquæ usum & in usu qualis es-
se de-

I N D E X.

- | | |
|---|-------------|
| se debeat | 60 b. 77 b. |
| Stephanus Schlicco Comes Nosodochium
in thermis Carolinis extrui curavit, quan-
quam sint qui ad Albertum Schlicconem
C. referant | 19 b. |
| Stillicidium quibus prospicit vel obicit 97. quæ
ante ejus usum observanda 98 b. quando
ad stillicidium descendendum 99. quo-
modo 100 a & quamdiu eo utendum 101. | |
| Stuffæ in thermis nostris non habentur, pa-
rati tamen possunt | 102 |
| Sulphuris spiritus, non vero substantia, in
fontibus Carolinis est | 26 c. 27 a. |

T.

- | | |
|-----------------------------|-------|
| Thermæ Aponenses in Italiam | 53 b. |
|-----------------------------|-------|

V.

- | | |
|--|------------------|
| Ubi aqua incalescat | 24 b. |
| Vernum tempus ad aquarum usum aptis-
simum | 53 c. & seqq. |
| Ulceribus magnis thermæ utiles | 34. |
| Ulceribus ex morbo Gallico & adustis hu-
moribus thermæ sunt inutiles | 34 c. 35 a. |
| Usus aquarum cur sàpè sit inutilis | 36 c. &
seqq. |
| Uteri affectus quibus thermæ utiles | 34 a. |

F I N I S

100
101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200
201
202
203
204
205
206
207
208
209
210
211
212
213
214
215
216
217
218
219
220
221
222
223
224
225
226
227
228
229
230
231
232
233
234
235
236
237
238
239
240
241
242
243
244
245
246
247
248
249
250
251
252
253
254
255
256
257
258
259
260
261
262
263
264
265
266
267
268
269
270
271
272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
896
897
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
989
989
990
991
992
993
994
995
996
997
998
999
999
1000

420,-

